


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

La
44
278



Gr 44.278




Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard
University for "the purchase of Greek and Latin
books, (the ancient classics) or of Arabic
books, or of books illustrating or ex-
plaining such Greek, Latin, or
Arabic books." (Will,
dated 1880.)



# QUAESTIONES APULEIANÆ.

SCRIPSIT

ROBERTUS NOVÁK.

(EX EPHEMERIDIS „ČESKÉ MUSEUM FILOLOGICKÉ“ VOL. X. COMMENTATIO SEORSUM EXPRESSA.)



PRAGAE 1904.
TYPIS SOCIETATIS „NÁRODNÍ TISKÁRNA A NAKLADATELSTVO“.
SUMPTIBUS SCRIPTORIS. VENDIT A. STORCH FILIUS.

4a 44.278

Constantius fund

Ante hos septem annos vir doctus Batavus J. van der Vliet Apulei Metamorphoses trienniоque post eiusdem Apologiam et Florida Lipsiae edidit. quam editionem si cum Eyssenhardtiana Metamorphoseon et Apologiae Kruegerianaque Floridorum comparamus, non pauca in ea inesse videmus, quibus differat ab his vetustioribus. nam omnium primum apparatus criticus in ea aliquanto auctior ab editore exhibitus est, collato denuo Florentino utroque (F et φ)*) et recentioribus etiam aliquot libris excussis. deinde quidquid viri docti post Eyssenhardtii et Kruegeri editiones ad sananda Apulei verba proposuerant, id omne Vliet satis diligenter conquisivit et quae utilia viderentur, in usum libri sui convertit. postremo ipse aliquam operam in emendando hoc scriptore posuit et si qua invenisse sibi visus erat meliora, editioni suae intulit.

In iis, quae praebet haec Vlietii recensio, sunt quae laudes, sunt etiam quae improbes. ac laude quidem dignum est, quod subsidia critica largiora et quadam ex parte meliora ibi congesta sunt quodque eorum, quae ad emendandos locos depravatos alii protulerunt, satis idoneus factus est delectus. item non pauca ex iis, quae editor suo ipse ingenio invenit, probanda sunt et utique sequenda. at vero in eo reprehendendus est Vliet, quod codices primarios non ea qua par fuit cura atque diligentia contulit, id quod iam alii, velut O. Rossbach, Rud. Helm, Fr. Gatscha, qui et ipsi codices illos inspexerunt et examinarunt, suo iure ei obiecere. tum verba scriptoris non ea qua decuerat religione ac verecundia ab eo tractata cum idem Helm tum M. Petschenig non immerito contendit. nam etiam sana prorsus et integra non numquam Vliet attrectavit ac praeter necessitatem a vulgata discessit, id quod etiam iis, quae infra exponentur, magis,

*) Supplementum huius collationis Vliet paulo post in Mnem. vol. XXV (1897) p. 386—411 edidit. quaedam tamen melius ex codice φ enotavit mox Fr. Gatscha, *Quaest. Apul.* p. 39—52.

opinor, tibi patebit. itaque non de nihilo flagitari novam doctioremque Apulei operum recensionem concedendum est.

Recte sane Vliet in praef. edit. metam. p. VI dicit diligenter in emendando hoc scriptore habendam esse generis scribendi, quod eius proprium sit, rationem nec potest negari huius notitia non ita parva eum imbutum fuisse. sed tamen non plene cognitam habuit ille Apulei elocutionem multaque in ea prorsus neglexit, quae momentum haud ita leve in verbis constituendis faciebant. qua re non numquam introduxit lectiones consuetudini huius scriptoris plane adversas, ut infra ex iis, quae adferemus, clare videbis. subtiliter utique sermonis Apuleiani proprietates perlustrandae sunt ac scrutandae, si lectiones coniectura nixas cum his congruere vis et consonare.

Neque tamen satis est explorasse hoc vel illud usurpari ab hoc scriptore, sed necesse est etiam illud scire, ubi quidque extet ab eo adhibitum. nam non par et idem est Apulei per omnia opuscula dicendi usus. sunt enim quae satis frequentia sint in metamorphosibus, desint tamen vel raro nobis occurrant in aliis eius libris, cum quaedam non inveniantur in metamorphosibus, legantur vero saepius in apologia vel floridis vel libris ad philosophiam spectantibus. nimirum procedente tempore scriptor mutavit sermonem suum nec servavit eum integrum inmotumque per longiora temporum spatia. hoc non solum is fecit, sed alii complures, velut Cicero, Sallustius, Livius, Tacitus, ut proximis decenniis viri docti observarunt et dilucide demonstraverunt. etiam harum rerum scientia ad verba scriptoris recte constituenda nos interdum adiuvari non est cur pluribus a me nunc ostendatur. ut alii, ita ne Vliet quidem satis hanc rem in editione sua curavit.

Sed alia quoque ex causa operae pretium est hoc modo in huius scriptoris sermonem inquirere. nam ex eius rei certa cognitione aliquid testimonii redundare potest etiam ad ordinem scriptorum Apuleianorum, qui adhuc satis incertus est et obscurus, statuendum aut confirmandum. de hac re sub finem commentationis huius acturus sum, ut, quid meis observationibus, quas iam propositurus sum, in hanc quaestionem proficiatur, brevi comprehendam.

Nec denique sufficit ad crisin Apuleianam recte factitandam usum scribendi pernoscere huius scriptoris solius. nam eum solum spectantibus quaedam depravata videri possunt, quae re vera integra sunt ac sincera. valde nonnumquam proderit usum scribendi scriptorum aequalium vel aetate propinquorum aut etiam posteriorum comparare, quoniam nonnulla ex iis, quae apud hunc non recurrunt, confirmari possunt exemplis, quae ab his scriptoribus petiveris.

atque in hac quidem re editor Batavus multum operae ac studii posuisse non videtur. nam ea in usum suum convertisse plerumque satis habuit, quae iam alii, imprimis C. Weyman (Studien zu Apuleius und seinen Nachahmern, Monaci 1893) collegerunt. nec secus cura eorum scriptorum est editori habenda, quos Apuleius ipse imitatus est. nam et ii aliquod possunt locis difficilibus ferre subsidium. respexit hanc rem post alios nuper Gatscha l. l. p. 1—20, sed non exhausit. Vliet non videtur in eam accuratius inquisisse, sed iis acquiesse, quae olim Pricaeus, nostra memoria Hildebrand, Koziol, Gatscha, alii congesserant.

Iam ad rem transgressurus non possum quin conquerar, quod peculiari lexico Apuleiano etiam nunc destituti sumus. quot locis melius certiusque membranarum memoria aestimaretur quotque quaestiones grammaticae facilius instituerentur et expedirentur, nisi hoc studiorum careremus adiumento! postulavit iam tale subsidium data occasione M. Petschenig,*) id expeto nunc et ipse, quam difficile sit sine tali indice quaestiones criticas grammaticasque Apuleianas tractare, saepe numero expertus.

**met.** 1, 3: *tunc ego in verba fidentior 'heus tu' inquam <ei> qui sermonem iecerat priorem 'ne pigeat te vel taedeat reliqua pertexere' et ad alium 'tu vero crassis auribus et obstinato corde respuis quae forsitan vere perhibeantur'.*

Sic nuper Vliet locum edidit, *ei* inserendo et *ieceras*, quod codices exhibent, in *iecerat* mutando. nolo nunc decernere, utrum traditam memoriam sperni necesse fuerit necne — fortasse erunt qui hanc servare malint collato loco 1, 22 heus tu, inquit, qui tam fortiter fores verberasti —: id dicendum censeo, non *ei* Vlietium addere debuisse, si lacunam subesse putaverit, sed *ad eum*. nam hoc non solum illo quod subsequitur *ad alium* exigitur, sed omnino usu dicendi postulatur Apuleiano. constanter enim Apuleius *inquam*, *aio*, *infit ad aliquem* dicit, cum orationem rectam inducit: met. 1, 18 et ad illum 'ne' inquam, 'immerito'; 2, 7 et tandem ad illam 'quam pulchre quamque festive' inquam 'Fotis mea'; 2, 13 negotii — oblitus infit ad eum; 2, 15 ad Milonem aio 'ferat suam — fortunam'; 2, 19 cum infit ad me Byrrhaena; 2, 21 et ad quempiam praetereuntium — inquam; 2, 25 denique sic ad illam 'quin abis' inquam; 2, 31 sic ad me

*) Cf. Berl. phil. Woch. 1897, p. 987.

Byrrhaena 'sollemnis' inquit 'dies'; 3, 8 adsurgit et ad populum talia; 5, 5 ea nocte ad suam Psychen sic infit maritus; 5, 18 sic ad illas ait; 6, 10 sic ad illam: 'videris enim mihi]— promereri'; 6, 22 atque sic ad illum 'licet tu' inquit 'domine fili, — servaris'; 6, 23 et ad Venerem — 'nec tu' inquit; 8, 18 unus illinc — ad nos inquit; 10, 8 haec ad ordinem pertulit. tantummodo tum dativus ponitur, cum ei, cui quid dicitur, participium additur, velut met. 1, 26 me perducit ad illum suum grabattulum et residenti 'quam salve agit' inquit; 6, 11 sed — vocatae Psychae Venus infit talia; 8, 9 instanter garrienti 'adhuc' inquit 'tui fratris meique carissimi mariti facies.' itaque apparet Vlietium l. l. 'inquam <ad eum> qui — sermonem iecerat' rectius scripturum fuisse.

ibid. 1, 7: *iam adlubentia proclivis est sermonis et ioci [et] scitum est cavillum; iam dicacitas tinnula, cum ille — infit.*

*Est*, quod Vliet ante *cavillum* scripsit pro *et* F, minime mihi placet antecedente 'adlubentia proclivis est sermonis'; certe melius illud absit. veram haud dubie Eyssenhardt, cui etiam Kronenberg adsensit, invenit scripturam, cum utroque *et* deleto edidit 'et ioci scitum cavillum'. duplex hoc *et*, quod in F scriptum extat, ex virgula lacunam indicante ɔ ortum iudicaverim. nam si olim in verborum ordine fuerat scriptum 'et ioci ɔ cavillum' atque in margine 'ɔ scitum' additum, a scriba coniungi haec ita poterant, ut evaderet 'et ioci ɔ scitum ɔ cavillum', unde facile virgula pro *et* habita 'et ioci et scitum et cavillum' provenit. non secus error apud Velleium 2, 42, 2 extitit, ubi codice servatum est 'contracta classe et privatus et tumultuaria invectus' pro 'contracta classe tumultuaria privatus invectus', id quod F. Ruehl paucis abhinc annis recte perspexit. et hic in ordine olim fuisse videtur
ɔ
'contracta classe tumultuaria invectus' atque in margine 'ɔ privatus', unde error latius serpsit.

ibid. 1, 7: *et statim miser ut cum illa adquievi, ab unico congressu damnosam ac pestilentem con<suetudinem> contraho et ipsas etiam lacinias, quas boni latrones contegendo mihi concesserant, in eam contuli.*

*Consuetudinem* Vliet scribendum censuit, alii alia proposuerunt. quorum tamen inventorum nullum mihi probatur, quoniam non infertur ea vox, quae sententia desideratur, vox amoris. nam vir ille, qui haec refert, cum Meroe caupona congressus amore eius statim incensus erat eoque tam vehe-

menti, ut sui tamquam impos voluntati atque arbitrio eius prorsus obnoxius esset. *consuetudo* longiore temporis spatio extitit, temporis momento contractus est *amor*. itaque scribendum existimo: 'ab unico congressu damnosam ac pestilentem contraho <adfectionem> et ipsas etiam lacinias — in eam contuli'. de voce *adfectionis* (= *amoris*) cf. met. 3, 22 patere — singulari me adfectionis tuae fructu perfrui; 4, 26 cubiculi torique sanctae caritatis adfectione mutuo mihi pigneratus; 5, 9 fortassis tamen procedente consuetudine et adfectione roborata deam quoque — efficiet; 5, 15 sic adfectione simulata — invadunt animum; 7, 11 sed adfectione calcata — scortari tibi libet; 8, 3 novaeque et gliscentis adfectionis firmissimum vinculum; 10, 21 et suas testantur adfectationes; 11, 25 dulcem matris adfectionem miserorum casibus tribuis; apol. 85 parentis — adfectiones exploras. cf. et met. 2, 10 cave ne nimia mellis dulcedine diutinam bilis amaritudinem contrahas. quod F *c̄ contraho* habet pro *contraho*, non multum valet; nam *c̄* dittographum est, ut 8, 14, ubi legitur 'corruit' (c̄ corruit F); cf. et 8, 28 conficto (c̄flicto F); concupisceret (c̄spiceret F); 10, 7 convenirent (c̄veniret F); ap. 22 contumeliam (c̄tumeliā F); 82 concivere (c̄civesre $F^1$). de sententia licet comparare met. 2, 5 serit blanditias, invadit spiritum, amoris profundi pedicis aeternis alligat; 5, 23 sic ignara Psyche sponte in Amoris incidit amorem; apol. 79 sed, inquit, <impos> animi fuit, efflictim te amabat.

ibid. 1, 8: *'oro te' inquam 'aulaeum tragicum dimoveto et siparium scaenicum complicato et cedo verbis communibus'.*

Oratio sub loci finem manca mihi videtur esse et truncata. nam post *communibus* non solum verbum fin. desideratur, sed etiam eius obiectum. deinde illis *et cedo verbis communibus* turbatur illa quae in superioribus partibus est aequabilitas. quapropter ego non dubito, quin Apuleius, qui aequabilitatis sermonis adfectator est magnus, in hunc modum h. l. scripserit: 'siparium scaenicum complicato et cedo verbis communibus <rem narrato>'. cf. 1, 4 sed iam cedo, tu sodes, quam coeperas fabulam remetire; ap. 28 cedo, si videtur, singula consideremus; Socr. 9 cedo igitur mente formemus et gignamus animo id genus corporum texta.

Similiter met. 9, 24 post *instructa* quaedam deesse aequabilitate sententiarum quae praecedunt ostenditur. locus sic edendus videtur: 'at pudica uxor statim cenas saliares comparat, vina pretiosa defaecat, pulmenta recentia tuccetis temperat, mense largiter instructa * * * . denique ut dei cuiusdam adventus, sic expectatur adulteri'. in lacuna ea verbum

finitum utique fuit cum suo obiecto et fortasse adverbio aliquo. excidisse puto *pulchre semet exornat.* de voce *exornandi* cf. met. 2, 9 auro gemmis veste omnique cetero mundo exornata mulier incedat; 10, 1 me — prorsus exornatum — producit ad viam; 10, 18 et tintinnabulis perargutis exornatum ipse residens; 11, 8 exornata pulcherrime; 11, 24 sic ad instar Solis exornato; apol. 13 me — exornari quoque ad speculum solere.

ibid. 1, 9: *amatorem suum, quod in aliam temerasset, unico verbo mutavit in feram castorem.*

In praepositione *in* ante *aliam* posita multi iam offenderunt et Vulcanio duce plerumque *vi* editores scripserunt. Vliet, qui traditam memoriam reduxit, in adnotatione ad hunc locum *ancillam* pro *in aliam* scribendum dubitanter proponit. ego quoque *temerare in aliquem* dici posse nego et vitium subesse existimo, sed aliter hoc mendum tollendum iudicaverim. *in* enim delendum pro dittographo puto. dittographia autem extitit, quod scriba in illis '*quod in* aliam' reverterat ad ea quae paulo praecedunt '*quod in* conspectum'. ceterum cf. 5, 8 nec tamen Psyche coniugale illud praeceptum temerat; 9, 26 larem mariti lupanari maculasset infamia; — 2, 30 intemeratae fidei documenta; flor. 16, p. 172, 6 Vl. intemeratum — beneficium.

Dittographia removenda est etiam 2, 8, ubi Oudendorpium secuti editores legunt: 'quod nefas dicere neque (nec qđ F) sit ullum huius rei tam dirum exemplum'. nam *qđ* nihil est aliud nisi repetitum *quod.* cf. 8, 33 quod scimus (qđ scim; F); 11, 22 <ali>quot (qđ F) dies; 11, 25 quod eum (qđ dm̄ F). itaque 'nec sit ullum' pro vera habendum erit lectione. quod librarius ad ea revertit, quae iam exaraverat, eo multi sunt in librorum Apuleianorum memoria corrupti loci. cf. met. 1, 7 eique causas et peregrinationis diuturnae et domuitionis anxiae et spoliationis [diuturnae et dum] miserae refero; 1, 17 intentionem eius [denuo] derivo; 2, 16 verum etiam corpore ipso [etiam] saucius; 4, 2 in modum floris [in] odori porrectos caliculos; 4, 27 non numquam pronuntiant. denique flere et vapulare et [non numquam] iugulari lucrosum. de aliquot locis sic corruptis, sed nondum emendatis, infra acturi sumus.

ibid. 1, 9: *amatorem suum — mutavit in feram castorem, quod ea bestia captivitati metuens ab insequentibus se praecisione genitalium liberat.*

Lectionem codicum *captivitati* Vliet reduxit, vulgo editores scribebant *captivitatis.* sane cum dativo iungit Apuleius

*metuere* et *vereri*, sed, ut alii scriptores, tum solum, cum res indicatur bona, cui quis metuit, non mala et damnum adferens, velut met. 1, 19 ipse trepidus et eximie metuens mihi — aufugi; 2, 5 ut anxie tibi metuo; 3, 5 simul et eximie metuens et hospitibus meis et mihi; 3, 6 et verentes scilicet cibariis suis; 5, 4 tunc virginitati suae pro tanta solitudine metuens; 5, 21 sibi etiam eximie metuentes; 5, 25 metuens sibi; 6, 23 nec prosapiae tantae tuae statuque de matrimonio mortali metuas; 7, 7 sibi quisque metuentes delitescebant; 7, 16 de me metuentes sibi; 9, 27 nihil triste de me tibi, fili, metuas. quod cum l. l. ita non sit, dativus ille teneri vix potest. aut genetivus reponendus est cum vulgata 'captivitati<s> metuens', ut est 4, 32 'irae superum metuens', aut accusativus 'captivitate<m> metuens'; cf. 8, 15 tunc illi mutati dominii novitatem metuentes; 9, 13 talis familiae funestum mihi etiam metuens exemplum.

ibid. 1, 9: *cauponem quoque vicinum* atque ob id *aemulum deformavit in ranam.*

*Ob id* (= propterea) nisi in metamorphosibus Apuleius non adhibet, iunctum quidem cum *atque*, ut hoc loco, vel cum *et*: 1, 10 civitatem summo vertice montis exasperati sitam et ob id ad aquas sterilem; 2, 30 inminentes atque ob id reformatae frustra saepius; 4, 6 saxis asperrimis et ob id inaccessis; 7, 23 nimio libidinis laborantes atque ob id truces vesanosque; 8, 1 exercitatus atque ob id factionibus latronum male sociatus; 9, 33 madefactus atque ob id itinere directo cohibitus; 10, 2 litteratum atque ob id consequenter — praecipuum. nusquam pro hoc *atque* (*et*) *ob id* dicit Apuleius in hoc opere *atque* (*et*) *ideo* (*idcirco*) vel *ideoque* (*idcircoque*). at tamen Vliet ausus est 9, 12 e sua opinione scribere: 'tum lurore deformes et fumosis tenebris vaporosae caliginis palpebras adesi atque ideo (adeo F) male luminati.' nihil vero impedit, quominus codicis fide praestantis memoriam retineamus. nam illo *atque adeo* res maior adiungitur; homines enim, de quibus hic agitur, dicuntur non solum 'palpebras adesi', sed, quod peius est, etiam 'male luminati' esse. cf. met. 8, 23 atque adeo (*ideo* φ male) vel donemus eum cuipiam; apol. 30 atque adeo summe miror; 91 concupisse atque adeo primo dotem — rapuisse; Socr. 11 Latine enuntiabo atque adeo hic sit inpraesentiarum.

Aliter res se habet in apologia. ibi cum desit *atque* (*et*) *ob id*, aliquotiens positum *et ideo*, *et idcirco*: 2 animadvertisses et idcirco eum denuo iussisses — accusationem sustinere; 3 et ideo necessarium arbitror; 13 et ideo hoc etiam

peto; 20 et idcirco divitiae non melius — aestimantur; 25 me magum esse et ideo mihi libet quaerere; 26 et ideo id genus crimen non est. praeterea *eoque* ibidem sic adhibitum: 27 inreligiosos putent eoque aiant deos abnuere; 48 eoque etiam patronos — nominari; 51 eoque minus spei — relinquunt; 58 eoque diurno fumo differt; 64 nec ulla vice comprehensus eoque paucis cogitabilis; 68 conciliare studebat — Claro eoque ceteros procos absterrebat; 77 devorarat eoque me amoliendum ratus; 80 nesciit — quid scripserit, eoque ei fides non habenda est. itaque ne hic quidem ullum est *atque ideo* exemplum. in floridis demum et libris philos. hoc deprehenditur, cf. flor. 18, p. 182, 19 Vl. atque ideo merces Protagorae tam aspera — avaris relinquenda est; Socr. 10 atque ideo humectiores humilius meant aquilo agmine; Plat. 1, 5 atque ideo — infinibilis recte videri potest; ib. atque ideo nec tactu solo neque tamen sola opinione cogitationis intellegi; 1, 9 atque ideo et imperitare et regere ea; 2, 16 congruere atque ideo non — discrepare; 2, 16 modum non habet atque ideo semper — deest. praeterea, quantum mea fert opinio, *atque ideo* restituendum est flor. 6, p. 151, 12, ubi Vliet scripsit e sua coniectura: "est apud illos genus, qui nihil amplius quam bubulcitare novere idque adgnomen (idq; adcognomen F) illis 'bubulcis' inditum". haec scriptura primum eo displicet, quod post *idque* supervacuum est, quod sequitur, *bubulcis*. deinde pro *adgnomen* desideratur *adgnomentum* apud Apuleium, qui etiam *cognomentum* usurpat constanter pro *cognomen*, fortasse Sallustii in historiis usum secutus.*) cf. ap. 56 igitur adgnomenta ei duo indita; flor. 7, p. 152, 14 cui — cognomentum magno inditum est; Plat. 1, 1 Platoni habitudo corporis cognomentum dedit; mund. 13 et is septemtrio habet cognomentum. ea re etiam *idque adeo cognomen*, quod Lipsius invenit, spernendum videtur nec magis *idque adcognomen*, quod Rohde proposuit, recipiendum. omnia plana evadunt, si legeris: 'est apud illos genus, qui nihil amplius quam bubulcitare novere, atque ideo nomen illis 'bubulcis' inditum. cf. mund. 1 hunc sequitur Stilbon, cui quidam Apollinis — nomen dederunt; Sall. Iug. 78, 1 inter duas Syrtis, quibus nomen ex re inditum; or. Lep. 24 specie concordiae et pacis, quae sceleri et parricidio suo nomina indidit. errorem traditae
*id*
memoriae repetendum arbitror ex *atque adeo nomen*, unde prava vocabulorum divisione primum *idque adeonomen*, tum *idque adcognomen* extitit.

*) Cf. II 45 Maur. cui Cretico cognomentum fuit; IV 1 cui cognomentum Clodiano fuit; I 95 Calpurnius cognomento Lanarius.

Praeter *atque ideo* in operibus philos. reperitur *et idcirco*, *idcircoque*, *et ideo*, *ideoque*, *eoque*: Socr. 12 et idcirco nec indignatione — contingi; 23 et ideo cetera habere contempsit; Plat. 1, 8 idcircoque in igne atque terra — esse situs; ibid. eoque nihil praeterea extrinsecus est relictum; 1, 14 ideoque humidioribus et aquosis potius commodatos; 2, 16 et idcirco hunc talem -- amicum esse; 2, 17 idcircoque peius est quam noceri; 2, 21 et ideo existimandam philosophiam. item *et* (*ac*) *propterea* nobis hic occurrit, quater quidem: Socr. 17 ac propterea eius custos; Plat. 1, 12 quae naturaliter et propterea recte feruntur; 2, 18 tanto egentior sibimet et propterea aliis videri potest; 2, 24 ac propterea pessimos cives refrenet.

Nusquam *et* (*ac*) *propterea* invenitur in metamorphosibus, quod non mirum est, quoniam ibi Apuleius *propterea* omnino defugit. legitur tamen haec particula in apol. 60 ego ista propterea commemoravi, non quod; item Socr. 13 quae propterea passiva non absurde, ut arbitror, nominavi.

Praeter *propterea* usus est Apuleius etiam *quapropter*, sed non in metamorphosibus. cf. ap. 12 quapropter — Afranius hoc scriptum reliquit; 56 quapropter facile intellego; flor. 26, p. 194, 9 quapropter, si ita videtur, satis oratio nostra atticissaverit; Socr. 12 quapropter debet deus nullam perpeti vel odii — perfunctionem; Plat. 1, 7 quapropter mobilem pyramidis formam igni dedit; 2, 1 divina quapropter esse atque simplicia virtutes animi; 2, 4 tres quapropter animae partes tribus dicit vitiis urgeri; 2, 15 evenit quapropter primum illud mentibus vitium; 2, 16 pessimo quapropter deterrimoque non ea tantum vitia; mund. 5 superna quapropter di superi sedes habent. vides huius particulae usus initium in apologia et floridis ortum esse, incrementum eius extitisse in libris philosophis, praesertim inde a secundo de dogmate Platonis libro. ibi etiam illud novatum videtur, ut *quapropter* secundo sententiae loco poneretur. nam quod Goldbacher Plat. 1, 3 e coniectura sua edidit 'nisi tunc eum bella vetuissent. <di>alectica quapropter inventa Parmenidae ac Zenonis studiosius executus ita — explevit', minime certa est ea scriptura. quippe *caletica* codicibus servatum est, sub quo attributum illius *bella* latere potest. et legebatur olim 'nisi tunc eum bella vetuissent asiatica. quapropter inventa.'

ibid. 1, 10: *at vero coetus illius auctorem — ad centesimum lapidem in aliam civitatem <in> summo vertice montis exasperati sitam et ob id ad aquas sterilem transtulit.*

*In* ante *summo* Vliet inseruit, Bursianum ducem secutus, sed tradita lectio recte se habet. scriptor omisisse praepositionem consulto videtur, ne parvo spatio *in* repeteretur. ablativus ad locum, quo quid fit, indicandum etiam alibi a scriptore sine praepositione ponitur: met. 1, 21 et quibus deversetur aedibus (at contra 8, 9 in meis deversatur oculis); 2, 6 et blande lectulo collocavit; 2, 20 in unum quempiam angulo secubantem (cf. met. 1, 25 in angulo sedebat); 3, 2 iamque sublimo suggestu magistratibus residentibus; 3, 9 corpora quae lectulo fuerant posita; 7, 8 asello spicas hordeacias gerenti residens; 8, 18 prostrati solo; 9, 36 calathum — angulo solito destinato; 11, 11 simulacrum — residens umeris; 11, 25 ferae montibus errantes, serpentes solo latentes, beluae ponto natantes; flor. 2, p. 147, 6 simul campis pecua simul montibus feras simul homines urbibus uno obtutu — cernens; 15, p. 166, 21 remedia — terra caeloque et mari conquisita; 20, p. 187, 20 uti praeoptent pendere equo quam carpento sedere.

ibid. 1, 13: *haec ego ut accepi, sudore frigido miser perfluus tremore viscera quatior, ut grabattulus etiam succussus susum et inquietus super dorsum meum palpitando saltaret.*

*Susum* pro *sum* F et *sū* φ scribendum L. Traube proposuit, Vliet scripsit. cui lectioni id primum obiciendum est, quod *sursum* alibi constanter posuit Apuleius, non *susum.* deinde superflua est haec vox, cum idem significetur subsequenti 'super dorsum meum palpitando saltaret'. illud *sum* F dittographiae debetur et delendum est, ut iam in F virgula est perfossum. accedit quod alibi quoque sine *sursum* positum est apud Apuleium verbum *succutiendi*: met. 1, 24 succussisque in aspectum planiorem piscibus; 2, 7 et in orbis flexibus crebra succutiens; apol. 44 caput succussisset.

ibid. 1, 15: *illud horae memini me terra dehiscente ima Tartara inque his canem Cerberum prorsus esurientem mei prospexisse.*

Apuleius subinde *que*, ut h. l., praepositioni adnectit. quoniam non inutile est scitu, quibuscum praepositionibus particulam eam iungat, quibuscum non iungat, nunc de ea re exponam. ac primum quidem ex praepositionibus monosyllabis cum *que* iugatur apud eum

*cum*: met. 1, 16 cumque eo in terram devolvor; Socr. 8 cum eo exoriri cumque eo extingui;

*de*: met. 1, 23 de — habitudine deque hac virginali — verecundia; 2, 18 deque nutu eius consilium — petendum; 5, 4 deque tantis divitiis exigua — proiecerit; 5, 24 deque eius alto cacumine — adfatur; 5, 25 deque nimio pallore <oris deque macie> corporis; 7, 9 de virginis fuga deque mea vectura; 7, 19 deque proxima villula — furatus; 9, 41 de impotentia deque inertia sua; apol. 17 de Sabinis deque Samnitibus deque Pyrrho triumphator — habuit; 28 ibi etiam de falso invidia deque epistulis mulieris perperam lectis — deque matrimonio meo — disputabo; 36 qui plurimos libros de genitu animalium deque victu deque particulis deque omni differentia reliquerunt; 40 de situ earum deque numero deque causa conscribere; Socr. 14 de praesagio Socrati deque eius amico numine;

*ex*: flor. 16, p. 171, 14 exque eo luxu adhuc fluxus est;

*in*: met. 1, 15 inque his canem — prospexisse; 1, 24 inque eo piscatum — video; 4, 24 inque isto saxeo carcere — clausa; 5, 27 inque simile mortis exitium cecidit;

*per*: met. 3, 21 perque rimam ostiorum — iubet arbitrari; 4, 6 perque prona delapsus evomebat; 6, 14 perque proclive delapsi; 7, 24 perque prona — propere devolutus; 10, 10 perque universa membra frigidus sudor emanabat;

*pro*: met. 5, 11 pro genuina simplicitate proque animi tui teneritudine; apol. 1 proque vero obtinebam; 18 proque eo in hodiernum — sacrificat; 58 pro amicitia — proque eius egregia eruditione.

E praepositionibus disyllabis *que* adsciscit

*contra*: met. 6, 22 contraque leges — existimationem — meam laeseris;

*inter*: met. 7, 5 interque ipsos manipulos factionis educatus.

Vides non late patere hanc scribendi rationem apud Apuleium nec aeque per omnia eius scripta. nam in metamorphosibus et apologia frequentior multo est quam in ceteris opusculis.

Ut plerique alii scriptores, ita ne hic quidem *que* cum *a*, *ad*, *ob*, *sub* coniungere ausus est. ut *adque* evitaret, *que* addere nomini maluit, quod illo *ad* regitur, met. 6, 19 ad ipsamque protinus Proserpinam introibis; 9, 7 ad maritumque eius — conversus. valde autem fallitur Goldbacher, quod Plat. 2, 20 *obque* legendum esse existimat. fugit virum doctum raro Apuleium iam in opusculo de deo Socratis *que* cum praepositionibus iunxisse, nusquam vero, quod rem di-

rimit, ita fecisse in libris de Platone et eius dogmate ac de mundo. cum V *absque* habeat, praestabit hoc loco lacunoso legere: '* * * * absque doctrinis (sic et codices) ex rerum scientia eloquentiaque venientibus.' id eo magis facere licebit, quod praepositionem *absque* Apuleius usurpat etiam met. 9, 25 brevi absque noxa nostri suapte <sponte> periturum; apol. 55 et absque omnibus profanis tacite veneremini; Plat. 2, 23 cum absque hac ex aliis prosperis non possit felicitas inveniri.

Ceterum raro Apuleius adicit *que* nomini e praepositione suspenso. hoc fecit met. 3, 26 in meamque (sic F quidem, at φ, quod mirum sit, *inque meam*) perniciem — consentiunt; Plat. 1, 8 hinc unum esse mundum in eoque omnia.

ibid. 1, 18: *verum tamen et ipse per somnium iugulari visus sum. non nihil etiam iugulum istum dolui et cor ipsum mihi avelli putavi. et nunc etiam spiritu deficior et genua quatior.*

*Nonnihil etiam* Vliet novavit; in F scriptum extat *nihil nam et*. inde *nihil* sane teneri non potest, quia *multum* vel simile sententia desideratur, sed cur damnetur *nam et*, non intellego. etenim verbis, quae mox sequuntur, explicantur illa *per somnium iugulari visus sum.* sententiae sufficit haec facilior scriptura: 'iugulari visus sum. nam et <non> nihil iugulum istum dolui.' hoc *nam et* saepissime in hoc opere recurrit eoque magis l. l. retinendum est; cf. 1, 19 nam et crebritas ipsa commeantium metum mihi cumulabat; ib. nam et optimi casei bonam partem avide devoraverat; 1, 20 nam et mihi — multa usu venire mira; 1, 23 nam et maiorem domum dignatione tua feceris; 2, 3 nam et familia Plutarchi ambae prognatae sumus; 2, 5 nam et illa urit perpetuum; 2, 6 nam et forma scitula et — prorsus argutula est; 2, 12 nam et Corinthi nunc — turbulentat; 2, 13 nam et hic — multa multis effatus.

ibid. 1, 19: *quo facto et ipse aliquid indidem sumo eumque avide esitantem aspicio aliquanto intentiore acie atque pallore buxeo deficientem video.*

Hoc loco non erat cur Vliet ab Eyssenhardtio discederet, qui servata tradita memoria *aspiciens* cum Oudendorpio scripsit *intentior macie* pro *intentiorē acie* F. nam participium *aspiciens* ut teneatur, suadent loci met. 1, 7 et circumspiciens tutamenta sermonis — inquit; 2, 1 quod aspiciens id esse

crederem; 2, 6 retrorsa respiciens substitit; 2, 11 sed adsidue respiciens praeministrantem Fotidem inibi recreabar animi; 2, 11 iam vespera lucernam intuens Pamphile — inquit; 2, 16 meque respiciens sorbillat dulciter; 2, 23 meque respiciens, vide oro, inquit; 3, 4 nihil — flere poteram, non tam — accusationem intuens; 3, 10 delibuti meque respectantes cuncti theatro facessunt; 3, 25 oblicum respiciens ad illam tacitus expostulabam; 3, 27 quod me — conantem servulus — repente conspiciens indignatus exurgit; 7, 4 ventremque crebro suspiciens meum iam misellam puellam parturibam; 7, 25 quidam viator solitarium — me respiciens invadit; 8, 8 et iam scaenam — perspiciens — desiderium — distulit; 9, 33 eam suus dominus intuens — inquit; 10, 9 at ego perspiciens — dedi; 10, 16 per idem prospiciens foramen delectatur eximie. quod si *aspiciens* integrum putamus, *intentiore acie* verum non est, siquidem hoc cum *deficientem* coniungi non potest. desideratur substantivum, quod perinde atque illud *pallore* tristem deformemque hominis aspectum significet. id quin *macie*, quod iam Oudendorp invenit, fuerit dubitari vix potest. cf. met. 1, 6 lurore ad miseram maciem deformatus; 9, 13 veterno atque scabiosa macie exasperati; 9, 30 lurore buxeo macieque foedata; cf. et Liv. 2, 23, 3 foedior corporis habitus pallore ac macie perempti. ad illa 'aspiciens aliquanto intentior (= intentius)' cf. 2, 6 et probi Milonis genialem torum religiosus suspice; 1, 19 adpronat se avidus adfectans poculum; 9, 9 Philebum ceterosque comites eius involant avidi; 9, 38 iuvenem manu perempturus invadit avidus.

ibid. 1, 20: *'tu autem' inquit 'vir, ut habitus et habitudo demonstrat, ornatus, accredis huic fabulae?'*

*Accredis* Vliet ex Petschenigii coniectura edidit. ego non existimo hac scriptura opus fuisse; nam codicum memoria sana videtur. *accedis* enim *huic fabulae* dicitur sensu *adsentiris huic fabulae*, *probas hanc fabulam*, quod est *pro vera habes hanc fabulam* vel *credis huic fabulae.* cui sententiae satis conveniunt, quae mox respondet Lucius 'sed ego huic et credo hercules'. cf. met. 7, 10 accedunt sententiae; paneg. lat. 12, 12 (p. 282, 10 B.) sed qui vitae tuae sectam rationesque cognoverit, fidei incunctanter accedet; Quint. inst. 1, 5, 37 huic opinioni neque omnino accedo neque plane dissentio; 8, 3, 15 iudex nisi ipsi rei accesserit, tacitus dissentiet; Tac. Germ. 4 ipse eorum opinionibus accedo; hist. 2, 33 accedebat sententiae Paulini Marius Celsus; Lact. inst. 2, 3, 3 erroribus accedere. *accredis* eo magis scribere dubitaverim, quod nus-

quam utitur hoc verbo Apuleius. itaque conditores Thesauri l. lat. nuper non recte fecerunt, quod etiam hunc locum s. v. *accredere* tamquam certum adtulerunt. satis erat eum s. v. *accedere* commemorasse.

ibid. 1, 21: *neque praeter unicam pascit ancillam et habitu mendicantis semper incedit.*

*Mendicantis*, quod Vliet scripsit pro *mendico* . . . *his* F, satis dubium videtur. nam *mendicos* appellat alibi Apuleius non *mendicantes*, sed *mendicabula*; cf. met. 9, 4 cum crotalis et cymbalis circumforaneum mendicabulum producor ad viam; apol. 22 ipse denique Hercules invictus —, quoniam haec tibi ut quaedam mendicabula nimis sordent; flor. 9, p. 155, 15 palliata mendicabula obambulant. quoniam F primitus *mendica*, non *mendico* habuit, et hic fuisse illud substantivum crediderim scripserimque 'et habitu mendicabuli[s] semper incedit'. littera *s* ex 'semper' adhaesit.

ibid. 1, 22: *'dum annuntio' inquit, 'hic ibidem me opperimino' et cum dicto rursum foribus oppessulatis intro capessit.*

*Capessit*, quod Vliet pro *capessum* F φ, Urbinatem codicem secutus, scripsit, non potest esse vera lectio. nam Apuleius verbum *capessendi* sic absolute nusquam adhibet: cf. met. 1, 14 et viam licet trepido vestigio capessere; 1, 17 et pretio — persoluto capessimus viam; 2, 31 titubante vestigio domuitionem capesso; 3, 5 neque fugam capessunt; 4, 25 aut certe praecipitium — capessendum est; 5, 31 concito gradu pelago viam capessit; 6, 26 sed quo gentium capessetur via; 8, 18 reliquam viam capessimus; 8, 21 dum — viam capessunt; 9, 8 proelium capessiturus — sciscitaretur; 9, 39 quam veneramus viam capessit; 11, 16 alacres ad fanum reditum capessunt; 11, 29 laetum capesse gaudium; apol. 86 ac tam bonum tuum factum oblivio capesseret; Plat. 2, 28 liceat omnibus honores capessere; mund. 30 et protinus unusquisque conpetens capessit officium. qua re melius fuit, quod Petschenig proposuit: 'intro capessit viam'. sed ne hoc quidem ferendum est, siquidem Apuleium non est verisimile spatium paucorum passuum viam appellasse. mihi locus dittographia videtur labem traxisse. librarium enim in illo *capessum* ad praecedens '*oppessu*latis' revertisse genuinasque litteras omisisse puto; fortasse scribendum: 'foribus oppessulatis introc<essit>'. cf. met. 5, 3 post opimas dapes quidam introcessit.

Neque magis vere Vliet 6, 7 scripsit: 'quo facto protinus domum se capessit' pro *secessit* F. nam *capessere* cum obiecto hominem indicante nusquam posuit Apuleius. si *secessit* non est tolerabile, satis erit *recessit* reponere; cf. 11, 7 numen invictum in se recessit; 8, 19 et cum dicto conductis oviculis conversus longe recessit. in eundem modum ipse Hildebrand erravit, qui met. 1, 22 'se intro capessivit' scribendum iudicavit.

ibid. 1, 24: *'mi Luci' ait 'sat pol diu est, quod intervisimus te: at hercules exinde cum a Dositheo magistro digressi sumus.*

*Diu est cum* (*quod*) dixit Apuleius apol. 23 neque enim diu est, cum te crebrae mortes propinquorum — fulserunt; met. 1, 24 sat pol diu est, quod intervisimus te; cf. et ap. 55 triennium est, cum — prae me tuli; 1 dies — quintus — est, cum me — insimulare — coepere. at contra nusquam dixit, quod l. l. legitur, *exinde cum.* nam pro eo compluribus locis *exinde ut* habet: met. 2, 13 quem ad modum exinde ut de Euboea — enavigasti —, confeceris iter; 10, 9 pecuniam quam exinde ut iste repraesentatus est iudicio, iussi — adferre; apol. 3 quamquam, exinde ut male facere coeperunt, consueverint male audire; 24 exinde ut participare curiam coepi, — tueor; 98 exinde ut frater eius animam edidit, — ad patruum commigravit. illi *exinde cum* eo minus est cur fidem habeamus, quod *a Dositheo* incertissima est Vlietii coniectura pro *adstio* F φ. fortasse sub *cumadstio* latet nomen proprium, quod h. l. certe fuit, et scribendum: 'at hercules exinde <ut a> † Cumadstio magistro digressi sumus'.

ibid. 2, 4: *credes illos marmore pendentes racemos inter cetera veritatis nec agitationis officio carere. inter medias frondes lapidis Actaeon curioso optutu in deam deorsum proiectus. — loturam Dianam opperiens visitur.*

*Marmore* pro *ut rure* F φ parum probabiliter scripsit Vliet. verba tradita inmutata teneri possunt, si post *illos* suppleto *de ramis* legerimus: 'credes illos <de ramis> ut rure pendentes racemos ....' de locutione *pendere de* cf. 6, 30 et ecce de quodam ramo procerae cupressus induta laqueum anus illa pendebat; 8, 30 me renudatum ac de quodam quercu destinatum — verberantes; 7, 10 de asini pendebant iudicio; 7, 24 me de cuiusdam validissimae ilicis ramo pendulo destinato. fū.

*Deorsum*, quod Vliet auctore O. Rossbachio pro τu F scripsit, veram lectionem esse non arbitror. nam illud *τu* e repeti-

tione ultimae syllabae praeeuntis verbi 'optu*tu*' ortum videtur et delendum. falso ex ea dittographia elicuit quidam librarius *sum*, quod superscripsit. de eodem loco nuper Alfr. Kirchhoff (De Apulei clausularum compositione et arte p. 56) egit proposuitque 'Actaeon — curiosum obtutum in deam
sum tum
proiectus,' traditam scripturam ex 'curioso optutu in deam proiectus' provenisse ratus. offenderat enim in hiatu curios*o* *o*btutu', qui in hac domus descriptione 'ad lineam composita' minime probabilis esset. sed sunt quae obici possint. illud 'curioso obtutu — proiectus' per se nihil offendit nec, utpote integrum, sollicitandum est. in hiatu 'curios*o* *o*btutu' non haerendum, quia Apuleius in aliis metamorphoseon descriptionibus hiatus satis multos nec minus graves admisit; cf. 2, 19 'utpot*e* *a*pud primatem'; 'mens*ae* *o*pipares citr*o* *e*t ebore nitentes', 'lect*i* *au*reis vestibus intecti', 'splendid*e* *a*micti', 'pulchr*e* *i*ndusiati'. deinde cf. 1, 4 isto gemin*o* *o*btutu circulatorem aspexi; 1, 20 statim initi*o* *o*bstinata incredulitate; 2, 1 conson*o* *o*re; 2, 7 ist*o* *a*spectu defixus; 4, 16 vesper*a* *a*busi; 6, 9 in ips*o* *ae*tatis meae flore; 6, 18 in ips*o* *o*re; 9, 15 solaci*o* *ae*rumnabilis; 10, 22 tam ampl*o* *o*re; 11, 13 avid*o* *o*re; 11, 24 in ips*o* *ae*dis sacrae meditullio. quod l. l. in descriptione hiatus pauciores et leviores sunt, mero casui attribuamus oportet.

ibid. 2, 5: *nam simul quemque conspexit speciosae formae iuvenem, venustate eius sumitur.*

Iniuria Vliet traditam memoriam damnavit, *conspexit* pro *conspexerit* F posito. nam iterativus coniunctivus est, qui apud posterioris aetatis scriptores non raro nobis occurrit. cf. H. Blase, Zur Geschichte der Futura und Conjunctive des Perfects im Lateinischen (Arch. f. l. Lexic. und Gramm. X 313 sqq.). apud Apuleium extat hic coniunctivus met. 7, 21 'ut quemque enim viatorum prospexerit —, ilico — furens incurrit', ubi Vliet item *prospexit* dedit. cf. et apol. 50 sed cui hoc usu venerit, numquam postea morbo comitiali adtemptatur; flor. 23, p. 189, 15 sed et medici cum intraverint ad aegrum —, nemo eorum — aegrum iubet, uti sit animo bono; Plat. 2, 15 evenit quapropter primum illud mentibus vitium, cum vigor rationis elanguerit superiorque et robustior fuerit animae portio; 2, 16 quod inmoderatum ingenium, in quaecumque proruerit, modum non habet; 2, 28 paucorum vero status obtinetur, cum inopes — dederint se atque permiserint; ibid. popularis factio roboratur, cum inops multitudo viribus obtinuerit — facultates lexque eius — fuerit promulgata; mund. 15 quando illa perfracta nubecula patefecerit caelum, ignescunt penetra-

biles spiritus; 16 et item ut se ostenderint, aliquantisper manent. item Petschenig l. l. *conspexerit* tenendum existimavit.

ibid. 2, 7: *suis parabat isicium — et quod naribus iam <longius> inde ariolabar, tuccetum perquam sapidissimum.*

*Longius* Vliet inseruit. miror quod non *iam inde <longius>* scribere maluit. nam *iam* ab *inde* alia voce interiecta discludi non debere documento sunt sat multi loci Apuleiani; cf. met. 1, 26 at ego iam inde Milonis abstinentiae cognitor excusavi comiter; 5, 29 iam inde a foribus quam maxime boans; 6, 29 et ad lunae splendorem iam inde longius cognitos risu maligno salutant; apol. 26 iam inde a Zoroastro et Oromazo auctoribus suis nobilem; 47 iam inde antiquitus — interdicta; 56 iam inde <ab>*) Orphei et Pythagorae scitis profanus; 74 iam inde ab ineunte aevo cunctis probris palam notus. item alii scriptores hunc verborum ordinem conservant. sed l. l. tradita scriptura mihi sincera videtur neque ullo verbo explenda. nam *inde* locum significat, ex quo primum Fotidem Lucius, cum domum intrasset, animadvertit.

ibid. 2, 9: *nunc corvina nigredine ceruleus columbarum collis flosculos aemulatur.*

Admodum dure *columbarum collis* cum *flosculos* est coniunctum. lectio non videtur integra et omissum esse aliquid putaverim. fortasse legendum: 'nunc — ceruleus columbarum collis <dispersos> flosculos aemulatur.'

ibid. 2, 12: *ad haec ego subiciens 'sunt' aio '<parva> prima huiusce divinationis experimenta, nec mirum licet modicum istum igniculum et manibus humanis laboratum, memorem illius maioris et caelestis ignis sicut sui parentis.*

*Parva* Vliet addidit, sed non videtur eo adiectivo addito opus fuisse, quia tradita lectio sententiae sufficit. ait enim Lucius fidem haberi posse Pamphilae adfirmanti imbrem lucerna praedici, quod iam *maxima* vel *praecipua* huius divinationis sint experimenta. itaque sensu *maxima* vel *praecipua* illud *prima* h. l. positum dicemus, quem ad modum sic adhibitum est *primus* 4, 7 etiamne tu, busti cadaver extremum et vitae dedecus primum et Orci fastidium solum; flor. 12, p. 161, 15 rostri prima duritia; cf. et met. 2, 5 maga primi nominis — creditur; 2, 28 Zatchlas adest Aegyptius, propheta primarius; 4, 9 quod est huic disciplinae primarium

*) Hoc ego suppleo.

studium; hist. Aug. v. Alex. Sev. 13, 5 stella primae magnitudinis; Clod. Alb. 11, 7 mulierarius inter primos amatores.

ibid. 2, 14: *nam et navis ipsa*, <*in qua*> *vehebamur, variis turbinibus procellarum quassata, — praeceps demersa est.*

*In qua* Vliet inseruit, δ $V^2$ secutus. sed praestat solum *qua* addere, ut habet $\varphi^2$. cf. met. 1, 2 me equo indigena peralbo vehens; 1, 20 me — non dorso illius sed meis auribus provecto; 11, 9 vidi et ursam mansuem cultu matronali, <quae> sella vehebatur; 6, 18 sutili cumba deducit commeantes; 11, 10 sed manibus ambabus gerebat altaria; 11, 11 gerebat alius felici suo gremio — venerandam effigiem; mund. 38 curru volucri superfertur.

2, 18: *forte quadam die de me magno opere Byrrhaena contendit, apud eam cenulae ut interessem, et cum impendio excusarem, negavit veniam.*

*Cenulae ut* Rohde scripsit pro *cenulęve* F. quam scripturam utpote falsam non debuit probare Vliet in sua editione. nam Apuleius in enuntiatis quae dicuntur imperativis semper in metamorphosibus primo sententiae loco *ut* ponit, cum verbum *imperandi* vel *rogandi* praecedit. itaque h. l. 'contendit ut apud eam cenulae interessem' desideratur. in apologia semel e primo loco summovit scriptor in tali enuntiato *ut*, 15: 'suasisse fertur discipulis suis, crebro ut semet in speculo contemplarentur.' sed particula *ut* nihil l. l. opus est, quoniam ea omissa Apuleius tales sententias frequenter adiungit: met. 2, 26 ei praecipit, bono custodi redderet — praemium; 3, 2 flagitant — iudicium tantum theatro redderetur; 3, 15 patere, inquit, oro, prius fores — obcludam; 4, 9 placuit ad hunc primum ferremus aditum; 4, 24 praecipiunt adsidens — solaretur adloquio; 5, 6 extorquet a marito cupitis adnuat; 5, 6 Zephyro praecipe simili vectura sorores hic mihi sistat; 5, 13 Zephyro nostro rursum praecipe fungatur obsequio; 6, 2 patere vel paucos dies delitescam; 6, 16 petit de te Venus — modicum de tua mittas ei formositate; 6, 19 orabunt anus —, manus paulisper accommodes; 7, 4 suadet — inquisitioni insisteretur; 8, 7 extorquet tandem, iam — confoveret; 9, 25 denique persuasi secederet paululum; 11, 23 praecipit decem — diebus — voluptatem cohercerem. aliam Eyssenhardt emendandi ingressus erat viam *cenulae suae* scribendo. sed ea quoque lectio spernenda videtur, quoniam *suae* redundat post *apud eam.* ego nihil aliud sub *cenulęue* latere existimo nisi *cenulae*,

quae lectio iam in margine φ adnotata est. *cenulgue* eo modo ortum est, quod *cenulae* a librario in *cenu* et *lae* divisum erat et *lae* in *lae<ue>* deinde auctum. simili prorsus modo librarius apud Livium 25, 8, 11 *sibilo* in *sibi lo<co>* extendit.*) cf. Apul. met. 2, 7 russea fasceola (rursus se a fasceola F φ); 4, 32 animi saucia (animis audacia F φ); cf. et 2, 6 me vel (volens F) ampla cum mercede tradere; 2, 7 felix et ter (certius F) beatus; 10, 3 paene (penitus F) non fit; 10, 7 vel[le] confertae. fortasse id mendum apol. 92 agnoscendum erit et scribendum: 'cape[ns] ipse tu manibus tuis tabulas istas'; cf. ap. 80 accipe tu et lege, usque dum ego interloquar; 89 porrige tu Aemiliano tabulas istas; 100 cape istud matris tuae testamentum. nam editores l. l. cum Iahnio scribunt 'cape sis ipse tu.'

ibid. 2, 18: *tibi vero fortunae splendor insidias, contemptus etiam peregrinationis <periculum> poterit adferre.*

Neque hac Vlietii coniectura verba tradita sunt persanata neque Pricaei invento *contemptum etiam peregrinatio.* illa *contemptus peregrinationis* sana esse et integra ex oppositis illis *fortunae splendor* satis cuivis apparet. deest utique in secundo membro obiectum, quod illi *insidias* respondeat. ei obiecto particula *etiam* addatur necesse est, quoniam maius aliquid quam quae sunt *insidiae* expectatur. itaque *etiam* transponendum erit. legendum videtur: 'contemptus peregrinationis etiam <vitae periculum> poterit adferre'. cf. met. 4, 3 obtundit adusque vitae ipsius periculum; 8, 20 in extremo iam vitae consistit periculo; 3, 2 pericula salutis neglegebant. de *etiam* in F traiecto cf. 7, 21 me praeter cetera flagitia nunc novis etiam periculis (periculis etiam F φ) angit; 2, 3 cuius forte nomen saepicule (saepicule nomen F φ) inter tuos frequentatum educatores retines. et compluries alibi genuinus verborum ordo in F turbatus est.

ibid. 2, 21: *'quid hoc', inquam, 'comperior? hicine mortui solent aufugere'?*

Quem ad modum Sallustius, ita Apuleius, qui hunc subinde imitatur, verbum *comperiendi* in praesenti tempore tamquam deponens adhibet, in perfecto vero tamquam activum. cf. praeter locum, quem adtuli, met. 11, 27 novum mirumque plane comperior; apol. 8 ea quoque, ut comperior, purgandos

*) Cf. quae dixi ephem. gymn. Austr. 1892 p. 195; Observ. Vellei. p. 50; Cur. Amm. p. 3 et 25.

sibi dentis — praebet; 37 ibi ego comperior omnis iudices tanto poetae adsurrexisse; flor. 9, p. 157, 5 id quoque pallium comperior ipsius (sic Goldbacher, prorsus recte pro 'coptoris ipsius' F; nam *coptor* in *coptoris* propter *ipsius* transiit nec quidquam in syllaba *ris*, quod Vliet putat, inest) laborem fuisse; 16, p. 173, 23 nam, ut comperior, nudius tertius libello misso. — met. 2, 11 qui comperisset istud; 4, 6 ut postea comperi; 5, 17 pro vero namque comperimus; 5, 27 quasi — aliquid comperisset; 6, 15 formidabiles aquas istas — numquam vel fando comperisti? apol. 57 tamen taedae fumo — comperisse; 58 haec se ad hunc modum comperisse; 66 etsi vere magum me comperisset; 81 non pauca experiendo comperisti; 94 quippe compererat. quae cum ita sint, quaeritur, utrum codices flor. 15, p. 166, 4, ut Vliet fecit, sequendi sint, qui habent 'quem comperio — laudem magis quam opem quaesisse' an cum vulgata *comperior* reponi oporteat. mihi hoc posterius praeferendum videtur, cum non causa appareat, cur ibi scriptor a sua desciverit consuetudine. magis equidem credam *r* in *comperio* librarii incuria aliquando intercidisse. etiam in Sallustii codicibus ea ratione video erratum. nullam vero probabilitatem habet, quod Vliet flor. 16, p. 174, 24 novare ausus est, 'tam libenter decreverunt locum statuae, ut illos scires idcirco alteram statuam, quantum comperio (spero F), in sequentem curiam protulisse, ut salva veneratione — viderentur factum eius — secuti'. nam neque *spero* in *comperio* facile transire potuit neque re ipsa *quantum comperio* loco aptius est quam *quantum spero*. si additamentum alicuius esse haec verba censeas, non repugnem.

ibid. 2, 25: *sic desolatus ad cadaveris solacium perfrictis oculis et obarmatis ad vigilias animum meum permulcebam cantationibus. iam ecce crepusculum et nox provecta et nox altior ac dein concubia altiora et [iam] nox intempesta, mihique <iam> oppido formidanti formido cumulatior quidem. cum repente introrepens mustela contra me constitit obtutumque acerrimum in me destituit, ut tantilla animalis prae nimia sui fiducia mihi turbarit animum.*

Multa h. l. Vliet mutavit nec tamen probabilem verborum formam assecutus est. primum enim *iam* ante *ecce* pro *cum* scribi nihil necesse fuit; cf. *cum ecce* 2, 11 sed adsidue respiciens praeministrantem Fotidem inibi recreabar animi, cum ecce iam vespera lucernam intuens Pamphile — inquit; 3, 18 et pro illo iuvene Boeotio aditum gestientes fores insiliunt, cum ecce tu crapula madens — tres inflatos caprinos utres exanimasti. nec in *iam* ante *nox* quidquam est

offensionis. item parum probabilia sunt illa *formidanti formido*, quae Vliet pro *formido* F dedit. alia ratione locum ego tractandum arbitror. primum *altiora* removendum puto tamquam ex *altior* repetitum. nam non est verisimile Apuleium vocem eam tantulo intervallo iterasse. deinde neutrum plur. *concubia altiora* displicet, cum in ceteris membris *nox* adiectivis additur. tum in *formido* haereo. etenim non puto virum illum, qui c. 23 'ferreum et insomnem' se esse gloriabatur, provecta nocte, priusquam monstri quidquam appareret, metu perculsum esse. credibilius est eum tum pro sua fortitudine prorsus quietum vigilasse et cadaver nullo metu custodisse. Apuleius in hunc modum videtur mihi locum scripsisse: 'animum meum permulcebam cantationibus, cum ecce crepusculum et nox provecta et nox altior et dein concubia [altiora] et iam nox intempesta, mihique oppido forti cumulatior quidem <constantia>, cum repente introrepens mustela contra me constitit'. *formido*, quod F servavit, ex *fortido*, quod scripsit librarius *do* ex *oppido* adiecto, extitisse videtur. ceterum cf. met. 6, 13 an oppido forti animo singularique prudentia sis praedita; 4, 18 quis enim quamvis fortis et intrepidus, immani forma tantae bestiae noctu praesertim visitata, non se ad fugam statim concitaret; 8, 21 sed unus prae ceteris et animo fortior et aetate iuvenior et corpore validior.

ibid. 2, 27: *sic ille senior lamentabiles questus singulis <cunctis> instrepebat.*

*Cunctis* haud male Vliet inseruit. sed tamen praestabit, opinor, 'singulis <universis>' in eandem scribere sententiam. suffragantur enim tali scripturae loci met. 3, 3 quare magis congruit sedulo singulos atque universos vos — providere; Plat. 1, 17 singulis universisque vitiatis. saepius sic scripsit Livius; cf. 4, 2, 3 singulis universisque semper honori fuisse; 6, 24, 8 sed ab imperio totus ad preces versus orare singulos universosque; 7, 36 singulos universosque servatores suos vocant; 23, 18, 7 singulos admonens universosque. *singuli cuncti* hoc modo iuncta apud Apuleium non inveni.

ibid. 2, 29: *suscipit ille de lectulo et imo cum ge<mi>tu populum sic adorat.*

*Imo cum gemitu* Vliet scripsit praeeunte Wowero pro *imo c̄gestu* F φ. magis, puto, ad traditam lectionem adpropinquemus, si dederimus *imo cum questu.* cf. met. 2, 27 sic ille senior lamentabiles questus singulis cunctis instrepebat; 7, 21 quod nisi ploratu questuque femineo conclamatum

viatorum praesidium accurrisset. — paulo infra satis insolite scribitur 'populus aestuat diversa tendentes'. nam pluralis *tendentes* non convenit singulari *aestuat*. haud dubie legendum *tendens*. pluralis *tendentes* ex sequenti *hi* videtur ortus.

ibid. 2, 30: *et quod prorsus alius nemo cognoverit indicabo.*

*Cognoverit* ex δ g auctoritate scribitur, in F φ legitur *cognominarit*. demptis litteris quibus librarius vocem olim extendit accipies lectionem veram *cognorit;* cf. 5, 4 cognorant; 5, 10 norimus; 7, 1 noritis; 9, 19 norat; 9, 31 cognorat; apol. 38 discrerit. de vitio librarii cf. 1, 11 coniveo (conihibeo F); 2, 6 miris (miseris F); 4, 15 obeundum (obediendum F); 4, 35 veh[em]ens; 8, 7 ob[ed]iens; 8, 9 improvidae (imperor vide F); apol. 66 in[un]icum.

ibid. 3, 5: *fateor, Quirites, ext<irpare ext>remos latrones boni civis officium arbitratus, simul et eximie metuens et hospitibus meis et mihi, gladiolo, qui me propter huius modi pericula comitabatur, armatus fugare atque proterrere eos adgressus sum.*

Recte Vliet fecit ille quidem, quod *extremos* F revocavit, cum id Eyssenhardt hinc removisset scribendo *exterminare latrones*. nam *extremos* manifesto praefert manum scriptoris, qui *extremus* et *ultimus* (*postremus*) adhibet non raro notione *pessimus, deterrimus*: met. 1, 17 apage te, — fetorem extremae latrinae; 2, 27 et extremum facinus — vindicate; 3, 16 tune, ultima, non cessas — surripere; 4, 2 quosdam extremi liquoris aspergine — abegisset; 4, 7 busti cadaver extremum; 4, 20 o grande — et extremum flagitium, magnam — perdimus bestiam; 4, 31 amore — teneatur hominis extremi; 7, 2 quodque cunctis est extremius; 9, 17 ad haec ultima pistoris illa uxor subiciens — inquit; 9, 23 nefarium et extremum facinus perditae feminae tolerare nequiens; 9, 35 magnas et postremas — clades adnuntians; 10, 4 auctores insimulabant extremi facinoris; 10, 24 fraudis extremae lapsa decipulo. accedit, quod idem Lucius eosdem latrones appellat *deterrimos* c. 6 'iustae ultionis, qua contra latrones deterrimos commotus sum'. falso tamen addidit Vliet *extirpare*. nam hoc verbum parum per se convenit illis quae subsequuntur 'armatus fugare atque proterrere eos adgressus sum'. Lucius enim si prorsus *extirpare* latrones pro officio boni civis habuisset, non ille, credo, tum eos tantum *fugare atque proterrere* animum induxisset, sed statim occi-

dere conatus esset. quare praestat utique, quod Luetjohannus proposuit 'exterminare extremos latrones'. sed *extirpare* eo quoque parum videtur probabile, quod eo verbo Apuleius nunquam de homine nec saepius quam semel de re usus est, apol. 93 ego vero — non modo nova odia non serui, sed vetera quoque funditus extirpavi. denique huic *extirpare extremos* aut illi *exterminare extremos* quominus suffragemur, impedimur allitteratione *ex- ex-*. namque Apuleius, quamquam allitterationis est adfectator, defugit tamen illam eius formam. quam e coniectura ei obtrudendam esse vix quisquam id monitus censebit. itaque aliud atque *exterminare* verbum hic excidisse putaverim, velut *arcere*, *depellere*, scripserimque 'fateor, Quirites, extremos latrones <arcere> boni civis officium arbitratus'.

ibid. 3, 7: *paulo altius aspectu relato conspicio prorsus totum populum.*

*Elato* pro *relato* F scribendum Vliet et Rohde proposuerunt. sed refelluntur loco metamorphoseon 5, 9 'iam iam sursum respicit et deam spirat mulier'.

ibid. 3, 10: *et iniecta manu me renitentem — domum suam perduxit maestumque me atque etiam tunc trepidum variis solatur affatibus.*

*Me* post *maestumque* plane redundat, quoniam idem obiectum praecedit, et fere molestum est. mihi non est dubium, quin hoc *me* ex *maestumque* repetitum sit atque ideo delendum.

ibid. 3, 11: *nam et patronum scripsit et ut in aere staret imago tua, decrevit (civitas).*

*Stet*, non *staret*, indicatur F scriptura. cum retinuissent adhuc illud *stet* editores, Vliet in editione sua *staret* novavit. nihil hac lectione opus fuisse satis apparet ex aliis locis Apuleianis; cf. met. 1, 7 effeci sequatur; 1, 11 mihi — incussisti sollicitudinem —, ne — cognoscat; 2, 13 iuxtim se ut adsidat effecit; apol. 44 sed misimus qui eum curriculo advehat; ib. bellum vero puerum elegistis, quem quis sacrificio adhibeat, cuius caput contingat, quem puro pallio amiciat, a quo responsum speret. quid quod iam Caesar b. c. 3, 20, 5 scribere in animum induxit 'legem promulgavit, ut sexenni die sine usuris creditae pecuniae solvantur'? cf. et Liv. 43, 2, 2 petierunt, ne se socios foedius spoliari — patiantur; 6, 10, 5; 38, 20, 10.

ibid. 3, 14: *sed mihi cum fide memora, oro, quod tuum factum <fortunae> scaevitas consecuta in meum convertit exitium.*

*Memora oro* Vliet scripsit, Colvium ducem secutus, pro *mea ora* F φ. mihi praestare videtur *memora* solum, quod Eyssenhardt recepit. nam *meaora* F φ ea ratione ex *memora* existere facile potuit, quod altera pars *M* litterae truncata erat. ceterum cf. similem locum 2, 13 sed vicissim tu quoque, frater, mihi memora, quem ad modum — viae confeceris iter.

ibid. 3, 16: *ac me capillos eius, qui iam caede cultrorum desecti humi di<spersi> iacebant, clanculo iussit auferre.*

*Dispersi* Vliet invenit. melius, puto, illud *di* F deletur, ut factum est iam in φ. nam repetitum videtur initium vocis '*de*secti'. id eo magis facere licet, quod sententia mox c. 17 fere iteratur '*capillos* eorum *humi iacentes aufero*'. minime vero cum Eyssenhardtio *humi diiacebant* legerim, quoniam neque Apuleius neque alii verbum *diiacendi* adhibent; cf. met. 2, 18 passim trucidatos per medias plateas videbis iacere; 4, 14 passim iacentes epulas accurrunt; ibid. passim — cerneres iacere — naufragia; 6, 1 sed cuncta passim iacentia et incuria confusa; apol. 35 in litoribus omnibus congestim et acervatim iacent.

ibid. 3, 19: *[at] sic lepido sermone Fotis, at invicem cavillatus ego 'igitur iam et ipse possum' inquam 'mihi primam istam virtutis adoream ad exemplum duodeni laboris Herculei numerare'.*

*Ego* pro *ergo* Vliet scripsit; quae lectio mihi non probatur. primum enim *ego*, si verum esset, ponendum erat post *at*; cf. met. 8, 18 sic ille, sed nos — vulnerati — viam capessimus; 8, 25 sic praeco lurchonem tractabat dicacule, sed ille cognito cavillatu — inquit; 9, 1 sic ille nequissimus carnifex — manus — obarmabat, at ego praecipitante consilium periculi tanti praesentia — lanienam — fuga vitare statui; 1, 10; 2, 20; 6, 13. deinde *ergo igitur*, quod codicibus traditur, cum desit in aliis Apulei libris, in metamorphosibus satis est frequens ideoque tenendum: 1, 5 ergo igitur — fatigatus — ad balneas processeram; 2, 18 ergo igitur Fotis erat adeunda; 4, 2 ergo igitur cum in isto — salo fluctuarem; 5, 11 ergo igitur si posthac — venerint; 7, 9 ergo igitur si perdideritis — virginem; 7, 15 ergo igitur evocato — armentario; 7, 19 ergo igitur ancipiti malo labo-

rabam; 9, 17 ergo igitur — dirigit profectionem; 9, 22 ergo igitur meridie propinquante — absolutus; 9, 39 ergo igitur Graece subiciens; 10, 3 ergo igitur — rupit silentium; 10, 35 ergo igitur — sollicitus; 11, 5 ergo igitur — intende; 11, 25 ergo igitur me quoque oportere caeleste sustinere praeceptum; 11, 28 ergo igitur cunctis adfatim praeparatis. denique primo enuntiati loco *igitur* positum est recepta Vlietii illa coniectura, cum Apuleius in metamorphosibus hanc particulam altero sententiae loco ponat praeter unum locum undecimi demum libri; qui est c. 23 'igitur audi, sed crede quae vera sunt'. haec res eo magis digna est quae notetur, quoniam in apologia undeviginti, in floridis octo, de deo Socratis decem loci *igitur* primo loco positi colligi possunt. ergo post metamorphoses demum Apuleius adsuevit huic scribendi rationi. itaque *ergo igitur* l. l. integrum relinquendum erit, sed cum post *at* desideretur *ego*, quod opponatur illi *Fotis*, cumque *at* F ante *sic* tolerari non possit et postea *Fotis et* a F exhibeatur, fortasse illud *at* transponendum erit et *et* in *eg<o>* mutandum, ut scribatur: 'sic lepido sermone Fotis, at eg<o> invicem cavillatus „ergo igitur iam et ipse possum" inquam „mihi primam — adoream — numerare".'

ibid. 3, 20: *sic nobis garrientibus libido mutua et animos simul et membra suscitat. omnibus abiectis amiculis ac taeniis denique intecti atque nudati bacchamur in venerem.*

*Ac taeniis* pro *actenus* F Vliet scripsit ex Petschenigii coniectura. in *tenus* substantivum inesse ego quoque existimo, sed non *taeniis*, quoniam praeter amicula etiam interiora corporis velamenta h. l. commemorari oportet. itaque legendum erit: 'abiectis amiculis ac <la>ciniis (vel: <et l>aciniis)'. cf. met. 2, 8 gratiamque suam probaturae lacinias omnes exuunt, amicula dimovent; 2, 16 paulisper inguinum fine lacinia remota inpatientiam veneris Fotidi meae monstrans; 2, 17 laciniis cunctis suis renudata, crinibus quam dissolutis; 3, 21 omnibus laciniis se devestit; 3, 24 abiectis propere laciniis totis; Curt. 5, 1, 38 (feminae) dein summa quaeque amicula exuunt —, ad ultimum — ima corporum velamenta proiciunt. praeterea singularis *taenia,* si hoc verbum h. l. positum fuisset, sufficeret; cf. 2, 7 et russea fasceola praenitente altiuscule sub ipsas papillas succinctula; 10, 21 tunc ipsa cuncto prorsus spoliata tegmine, taenia quoque, qua decoras devinxerat papillas.

ibid. 3, 21: *at arcula quadam reclusa pyxides plusculas inde depromit, de quis unius operculo remoto — se totam — perlinit.*

Brevior forma *quis* pro *quibus*, quae h. l. adhibita est, haud ita frequenter legitur apud Apuleium, nec nisi in metamorphosibus. qui loci praeter eum, quem supra attulimus, sunt: 3, 21 quis leniter fluctuantibus; 4, 18 capulos —, quis inhabitabant pulverei — mortui; 4, 24 et omnibus deliciis, quis innata — sum; 7, 1 et ipsa membra, in quis omne patrimonium condi solebat, — perspexerat; 7, 10 comites, quis contentus — castellum petam; 10, 20 pulvillis, quis maxillas — suffulcire consuerunt; 10, 20 cetera, quis mulieres — inducunt; 11, 27 paucis interiectis diebus, quis feralia — litantur obsequia; 11, 21 constitutos, quis tamen tuto possint magna religionis committi silentia; 11, 22 quis et ceteris benivolis praeceptis — recreatus; 11, 23 quis venerabili continentia — servatis. in ceteris opusculis prorsus hac forma abstinet Apuleius. nam *quis* flor. 15, p. 165, 16 non certum est et ni fallor, cum Salmasio Kruegeroque legendum: 'verum haec quidem statua esto cuiuspiam puberum, quos Polycrati tyranno dilectus Anacreon Teius amicitiae gratia cantilat (i. e. celebrat carminibus)'. cf. met. 8, 26 deam cornu canens adambulabat; 10, 30 instar — montis illius, quem vates Homerus Idaeum cecinit.

ibid. 3, 29: *hortulum quendam prospexi satis amoenum, in quo praeter ceteras gratas herbulas rosae virgines matutino ore florebant.*

*Virgines* suspectavit Cornelissen collatoque loco Lucretii 2, 361 *vigentes* proposuit, quod eius inventum Vliet in adparatu crit. commemorat. sed integram esse codicis memoriam testimonio est perv. Ven. 22 ut virgines nubant rosae. cf. et Tertull. ieiun. 6 in virgine adhuc saliva (= in saliva ieiuni hominis); Adi. Monog. 11 in ecclesia virgine; Iud. 13 illa terra virgo (est); Marc. 1, 29 non tinguitur — caro, nisi virgo; cf. et H. Hoppe, Syntax und Stil des Tertullian p. 95. etiam Aeschyli παρθένος πηγή (= purus fons) comparare licet (Pers. 613 λιβάσιν ὑδρηλαῖς παρθένου πηγῆς μέτα). *rosae* igitur *virgines* sunt rosae recens natae. magis dubitari potest de vocis *herbulas* sinceritate. nam cum *herbasas* F[1] habere dicatur, facilius inde deleta syllaba dittographa *herbas* efficies quam *herbulas*, quod in φ coniectura videtur ortum. mox 'dumque <eas> iam labiis undantibus adfecto' scripserim, quoniam accusativus ille durius abest.

ibid. 4, 1: *nec me cum asino vel equo meo compascuus coetus adducere potuit adhuc insolitum, <abundans> alioquin prandere faenum.*

*Adducere* pro *attinere* F φ non necessario scripsit Vliet. nam traditum verbum explicari potest ac sincerum videtur. in verbo enim *attinendi* inest notio *adstringendi* i. e. *cogendi* vel *permovendi*, ita ut addi possit infinitivus *prandere*. accedit huc, quod aliquotiens recurrit hoc idem verbum apud Apuleium quodque eo verbo saepius utuntur Plautus et Sallustius, quos haud raro imitatur Apuleius: met. 3, 20 sopor etiam in altum diem nos attinuit; 1, 7 mense decimo ibidem attentus; 9, 6 licet forensi negotio officinator noster attentus ferias nobis fecerit; mund. 5 et quinque coniuges copulae his ordinatae vicibus attinentur, ut adhaereant et gravioribus leviora. cf. Plaut. Bacch. 2, 2, 3 ita me vadatum amore vinctumque attines; mil. glor. 4, 8, 17 fortuna huius, mores, virtus animum attinuere hic tuum; — Sall. Iug. 108, 3 Bacchum — Punica fide — simul Romanum et Numidam spe pacis attinuisse; or. Phil. 16 neu prolatandis seditionibus — nos in sollicitudine attineas; — Front. ad M. Caes. 1, 6 sed me Caesaris oratio uncis unguibus attinet. cf. et cod. Theod. 11, 20, 4, 2 ad mulctam sexaginta librarum auri persolvendam — adstringendos esse —, ad praescriptam poenam — attinendos (11, 20, 5, 1 ad illa praestanda attinere).

ibid. 4, 3: *sed dum cunctanter accedo decerpere, iuvenis quidam, ut* <quidem> *mihi videbatur, hortulanus, cuius omnia prorsus holera vastaveram, — furens decurrit.*

*Quidem* Vliet inseruit, sed non probabiliter, ut ego existimo. nam parum grate tantulo spatio ea particula pronomen simile sonans *quidam* excipit. Vliet sane comparat locum 8, 1 'venit quidam iuvenis de proxima civitate, ut quidem mihi videbatur, unus ex famulis Charites', sed hic *quidem* a *quidam* aliquanto est remotius. abesse autem *quidem* ab illa sententia posse licet cognoscere e locis met. 9, 24 alioquin servati pudoris, ut videbatur, femina; 9, 24 eoque iam, ut sibi videbatur, tutissime celato; 10, 19 magnae civium turbae confluebant, ut mihi videbatur; apol. 33 mentiti autem sunt callidissime accusatores mei, ut sibi videntur, cum me — confinxerunt.

In eundem modum peccavit editor Batavus, cum scripsit met. 4, 24: his et his similibus blateratis nequiquam <nequaquam> dolor sedatur puellae. nam turpe est *nequiquam nequaquam* sic coniunctum et evitari poterat haec insuavitas scribendo 'nequiquam, dolor <non> sedatur puellae'. sed *nequiquam* non est necesse h. l. dici, quoniam hoc ex iis quae sequuntur apparet. Apuleius haud dubie scripsit: 'his et his similibus blateratis nequaquam dolor sedatur puellae'.

ibid. 4, 3: *tunc igitur procul dubio iam morti proximus, cum viderem canes et m o d o magnos et numero multos — exasperari, — fugam desino.*

In *modo* Rohde offendens proposuit *mole*; sed tradita lectio sincera est. nam illi *modo* recte prorsus convenit *numero*, quoniam utraque vox, quod dicunt, media est. si *mole* verum esset, desideraretur mox *copia* pro *numero*. ceterum cf. met. 3, 28 sed gestaminum m o d u s n u m e r u m gerulorum excedit; 3, 9 ut pro modo facinoris saeviatis; mund. 25 et ad haec usque terrena pro intervallorum modo indulgentiarum dei ad nos usque beneficia pervenire.

ibid. 4, 5: *iacensque in mortuum, non stimulis ac ne cauda et auribus cruribusque undique s u r s u m elevatus temptavit exurgere.*

Non erat cur Vliet *sursum* pro *versum* scriberet. nam *sursum* in ipso *elevatus* inest et *undique versum* pro solo *undique* etiam alibi dixit Apuleius; cf. apol. 75 nam cum u n d i q u e v e r s u m tabulis flagitaretur; cf. et met. 8, 17 et u n d i q u e l a t e r u m circumfusi passim insiliunt; 4, 6 et q u a q u a v e r s u s obsitae; 11, 30 non obumbrato vel obtecto calvitio sed quoquo versus obvio gaudens obibam; Socr. 8 quae porro aetheris sursum versus exordium est; 9 ne sursum versus calore rapiantur. itaque recte lectione tradita stabimus.

ibid. 4, 7: *vinum c a l i c i b u s p r o b e ecfricatis affluenter immissum.*

Traditum ordinem *probe calicibus* invertit Vliet Luetjohannum secutus. sane haec verborum consecutio simplex est nec inadfectata, at tolerabilis tamen illa, quae in F legitur.

ibid. 4, 8: *clamore ludunt, strepitu cantilant, conviciis iocantur ac iam cetera semiferis Lapithis † t e b a n i b u s Centaurisque similia.*

*Tebanibus*, quod F φ habent, corrupta cuiusdam adnotatio *Thebanis* videtur esse. mox enim de Thebarum direptione narratur. cf. Iul. Val. 1, 13 (p. 24, 18 K.) prorsus ut nihil de Centaurorum Lapitharumque convivio demutaret. quod si vere statuimus, vox ea excludenda erit.

ibid. 4, 12: *et ille quidem dignum virtutibus suis vitae terminum posuit. enim vero Alcimus sollertibus coeptis l a e t u m s e c u m Fortunae nutum non potuit adducere.*

Haec lectio, cuius Vliet est inventor, parum fide digna videtur. nam *laetum* haud ita facile in *eum*, quod F servavit, transiit. deinde 'sęuū' in F scriptum, sane litteris *uu* rescriptis. tradita scriptura emendari potest lacuna duorum verborum expleta; ego nimirum legerim: 'enimvero Alcimus sollertibus coeptis eum <secutus minus> saeuum Fortunae nutum non potuit adducere.' nam sententia est: ut in Lamachum ita etiam in Alcimum latronem fortuna summopere saeviit. lacunae causa in propatulo est; de illis *sollertibus coeptis eum secutus* conferre licet met. 1, 26 et dictum iure iurando secutus; 2, 11 quod dictum ipsius Milo risu secutus — inquit; 3, 16 et verbum facto secutus — abripuit; 6, 30 et unus verbum manu iniecta secutus — me circumtorquet; 10, 16 quod dictum dominus secutus — respondit.

ibid. 4, 21: *quidam — incunctanter lanceam mediis iniecit ursae praecordiis nec secus alius, et ecce plurimi iam timore discusso certatim gladios etiam de proximo ingerunt.*

*Congerunt* F φ male Vliet in *ingerunt* mutavit; nam hiatus 'proxim*o* *i*ngerunt' sic existit, quem, ut nunc Kirchhoffii opera exploratum habemus, defugiebat Apuleius in fine periodorum, praesertim in metamorphosibus. cf. etiam met. 1, 22 pulsare vocaliter incipio (non dicitur 'vocaliter pulsar*e* *i*ncipio); 2, 11 de specula candelabri contuetur (non 'de specula candelabr*i* *i*ntuetur'); 3, 15 quod quidem ei solet crebriter evenire (non 'crebr*o* *e*venire'); 4, 7 soles aviditer ingurgitare (non 'avid*e* *i*ngurgitare'); 9, 7 scabiem — occipit exsculpere (non 'exsculper*e* *o*ccipit'); 11, 8 studiis exornata pulcherrume (non 'pulcherrum*e* *e*xornata'); 1, 14 iugulatus mane paruerit (non 'man*e* *a*pparuerit'); 6, 18 nec tu — inlicita adflectare pietate (non 'pietat*e* *a*dflectare'). ceterum quidni l. l. scriptor dicere potuerit *congerunt*, cum *contorquere* (= intorquere) *iaculum* dicat met. 8, 5 'sed prior Tlepolemus iaculum, quod gerebat, insuper dorsum bestiae contorsit'?

ibid. 4, 22: *enim<vero> nobis anus illa recens hordeum adfatim et sine ulla mensura largita est, ut equus quidem meus tanta copia et quidem solus potitus saliares se cenasse <cenas> crederet.*

Locum Vliet recte non edidit, cum scripsit *se cenasse <cenas>*; nam *cenasse* falsum esse apparet. equus enim magnam frumenti copiam nanctus tum demum inde aliquid esurus erat, cumque copiam illam videret, magnificam cenam sibi propositam existimabat. itaque inf. praes. *cenare* desideratur. accedit, quod in F extare dicitur *saliēs se cenasse* . . . . .

*crederet* et *se* ab alia manu scriptum esse. inde facili negotio sincera scriptura eruitur: 'ut equus saliares c e n a s s e h a b e r e crederet'. cf. et met. 7, 10 inde vobis epulas saliares comparaturus; 9, 22 at pudica uxor statim cenas saliares comparat; 9, 32 nam et mihi et ipsi domino cena par ac similis.

Neque magis recte Vliet ea quae sequuntur scripsit. edidit enim: 'ego vero nunquam alias hordeum <nisi> tunsum minutatim coquitatione iurulentum semper esse <solitus>, rimatus angulum — fauces fame saucias — valenter exerceo.' nam longe nimis ita discessit ab iis, quae in F tradita sunt. extat enim ibi hoc scriptum: 'ego vero |nūq|am alias horde|o ciba|tus sum minutatim et diutina cogitatione iurulentum semper esserim rimatus'. quae tradita lectio maxima ex parte servari poterit, si lacunas, quibus manifesto laborat, expleveris in hunc modum: 'ego vero, <qui> numquam alias h o r d e o c i b a t u s s u m <i n t e g r o, s e d t u n s u m> minutatim et diutina coquitatione iurulentum semper e s s e <c o n s u e>r a m, rimatus . . . . .' lacunae illius maioris satis cernitur causa; oculi enim librarii a *cibatus **sum*** aberraverunt ad *tun**sum*** et interiecta omiserunt. de verbo quod est *cibare* cf. met. 9, 11 me — otiosum certe cibatuiri; apol. 26 qui venenarium accusat, scrupulosius cibatur. et quem ad modum Apuleius alibi dixit *saginare*, *cenare aliquem aliqua re*, sic h. l. scripsit *cibare aliquem aliqua re*; cf. met. 4, 17 mellitis dulciolis ventrem saginare; 7, 14 hordeo lecto fabaque et vicia saginari; 10, 13 dapibus adfatim saginabar; 10, 15 humanis — cibis saginatus; 1, 16 cenatus solis fabulis. item subst. *cibatus* aliquotiens apud Apuleium nobis occurrit, velut met. 1, 18; 1, 24; 9, 5; Plat. 1, 16. de illis *esse <consue>ram* cf. met. 9, 36 a d s u e t o s abiecta per agros e s s i t a r e cadavera; 11, 23 neque ullum animal essem.

ibid. 4, 24: ***nec tamen puella quivit — ab inceptis fletibus avocari, sed a u c t i u s heiulans — mihi etiam lacrimas excussit.***

***Auctius***, quod Vliet scripsit codicem φ secutus, nequaquam firmatur usu loquendi Apuleiano. magis ei convenit, quod h. l. ante legebatur quodque nititur etiam F auctoritate, ***altius***; cf. met. 2, 30 altius ingemescens; 4, 25 sic adsuspirans altius infit; 4, 29 fremens altius sic secum disserit; 6, 28 tunc illa suspirans altius; 8, 15 infortunium domus erilis altius miserantes; 8, 18 cruorem — abstergens altius quiritabat; 8, 31 utcumque metuens altius; 9, 29 tamen

altius commota atque exasperata; 10, 3 inpatientia furoris altius agitata; — 1, 11 stertebat altius. neque *aucte* neque *auctius* usquam legitur apud Apuleium. quod φ primitus habet *autius* pro *altius* F, aberrando ad '*au*ocari' factum putaverim.

ibid. 4, 24 sq.: *lassitudine iam fatigata marcentes oculos demisit ad soporem. [an] commodum coniverat nec diu, cum — adflictare sese — incipit.*

Prorsus recte Vliet *an* F ante *commodum* sustulit spreta Eyssenhardtii coniectura *iam commodum* scribentis. nam non *iam commodum quid factum erat* (*fiebat*) *cum* (*et*) dicit alibi Apuleius, sed omisso *iam*; cf. met. 1, 11 commodum quieveram; 1, 14 commodum limen evaserant; 2, 11 commodum meridies accesserat; 2, 16 commodum cubueram; 2, 26 commodum — cantus perstrepebat; 4, 28 commodum cubuerant; 9, 20 commodum novis amplexibus Amori rudi litabant; commodum — militabant; flor. 16, p. 170, 16 commodum ille anima edita obriguerat. sub illo *an* nihil aliud delitescere videtur nisi *ad* male ex proximis iteratum.

Ceterum data occasione commemoro Apuleium ut his locis ita alibi adverbii instar forma *commodum* uti, non forma *commodo*; cf. met. 1, 5; 1, 22; 1, 24; 2, 13; 3, 1; 4, 20; 5, 8; 5, 28; 6, 11; 7, 4; 7, 5; 9, 38; 10, 12; 10, 29; 10, 32; 11, 1; 11, 22; flor. 3, p. 147, 16; 15, p. 166, 2. solo loco Socr. 20 'quod c o m m o d o dixi' legitur *commodo* pro *commodum*. estne hoc quoque loco *commodum* restituendum? moneo met. 1, 11 in F 'cōmodo dū' scriptum esse pro 'commodum'. cf. et met. 8, 24 ad istum modum (modo F) praeco — commovebat.

ibid. 5, 1: *iam scires ab introitu primo dei cuiuspiam luculentum et amoenum videre te d i v e r s o r i a.*

Miror Vlietium tam duram et inconditam toleravisse scripturam. nam qui potest pluralis *diversoria* cum singulari numero *luculentum et amoenum* coniungi? Apuleius certe dedit *diversorium* et pluralis fortasse seqūenti *summa laquearia* natus est.

ibid. 5, 4: ***haec diutino tempore sic agebantur. atque, ut est natura redditum, novitas per assiduam consuetudinem <i n> delectationem s e c o n v e r t e r a t et sonus vocis incertae solitudinis erat solacium.***

Sic Vliet locum scripsit nec tamen emendavit. primum enim longe discessit a tradita scriptura, quae est *delectationem*

*ei commendarat*; tum ea quam effecit sententia minime apta videtur. nam novitas illa non adsidua demum consuetudine in delectationem Psychae convertebatur, sed res novae statim per se ipsae huic mirum quantum oblectationi erant. nam Psyche ut in Cupidinis venit domicilium, caelestium particeps erat gaudiorum et voluptatum. quare ego interpolatione vocis *consuetudinem* locum depravatum reor et expulso hoc substantivo legendum iudico: 'atque, ut est natura redditum, novitas per adsiduam delectationem ei <se> commendarat'. cf. et 10, 19 per admirationem adsiduam paulatim in admirabilem mei cupidinem incidit. illud *consuetudinem* interpolatum videtur, cum post *ei* intermissum esset obiectum *sc.* addito enim *consuetudinem* munus obiecti, quod deerat, suscepit *delectationem.* apud Livium 10, 39, 6 propter pravam sententiarum distinctionem post *in* additum erat ab aliquo *dies*, id quod nostra demum memoria H. J. Müller perspexit, qui sic veram restituit loci formam: 'quodcum<que> inciperetur remittereturque, omnium rerum, etiam parvarum, eventus perferebatur in [dies] altera Romana castra, quae viginti milium spatio aberant'. hanc interpolationem revocavit mihi nunc in mentem additamentum illud Apuleianum.

ibid. 5, 5: *diem totum lacrimis — consumit, se nunc maxime prorsus perisse iterans, quae — nec sororibus suis de se maerentibus opem salutarem ferre ac ne videre eas quidem omnino posset.*

Mihi *quidem* suo loco motum videtur. nam in *videre* solo sententiae pondus inest; quare desideratur lectio 'ac ne videre quidem eas omnino posset.' ita eo magis scribendum erit, quod Apuleius non binas, sed singulas voces illi *ne — quidem* inserere consuevit. cf. 4, 28 tam praeclara pulchritudo nec exprimi ac ne sufficienter quidem laudari sermonis humani penuria poterat; 9, 41 ac diebus plusculis nec vidisse quidem illum hortulanum contendit; 11, 11 effigiem non pecoris non avis non ferae ac ne hominis quidem ipsius consimilem; 11, 25 nec dies nec quies ulla ac ne momentum quidem tenue tuis transcurrit beneficiis otiosum; 2, 32 ac ne praesentia quidem nostra tantillum conterriti; 3, 14 nulli me prorsus ac ne tibi quidem adseveranti posse credere; 4, 2 non ullas rosas teneras — ac ne convallem quidem usquam — video; 4, 10 foribus eius —, quas neque sublevare neque dimovere ac ne perfringere quidem nobis videbatur; 4, 21 neque clamore ac ne ululatu quidem fidem sacramenti prodidit; 4, 26 nec ullo de familiaribus nostris repugnante ac ne tantillum quidem re-

sistente; 4, 29 Paphon nemo ac ne ipsa quidem Cythera — navigabant; 6, 26 nulla salutis nostrae cura, sed ne meae quidem necis habita; 6, 31 nec sectae collegii nec mansuetudini singulorum ac ne meae quidem modestiae congruit; — nec cruces nec ignes nec tormenta ac ne mortis quidem maturatae festinas tenebras accersere; 7, 9 nihil anteferre lucro suo debere ac ne ipsam quidem saepe et aliis damnosam ultionem; 7, 10 nullum uspiam pecus sacrificatui ac ne vinum quidem potatui adfatim — habemus; 7, 15 nullae deliciae ac ne ulla quidem libertas excipit; 9, 27 nec — te letali fumo necabo ac ne iuris quidem severitate — ad discrimen vocabo; 9, 38 nec ullum verbum ac ne tacitum quidem fletum — senex quivit emittere; 9, 41 nec quisquam mortalium ac ne ipse quidem asinus intra limen comparere nuntiatur; 10, 10 nullis verberibus ac ne ipso quidem succumbit igni; 10, 12 de optimatibus nemo ac ne de ipso quidem populo quisquam qui non illuc — confluxerit; 11, 15 nec tibi natales ac ne dignitas quidem vel ipsa qua flores usquam doctrina profuit.

ibid. 5, 9: *en orba et saeva et iniqua Fortuna! hocine tibi complacuit, ut utroque <pari> parente prognatae <tam> diversam sortem sustineremus?*

*Pari*, si sensum enuntiati spectas, recte sane suppletur; sed locus displicet, quo id inseritur. nam parum sonat gratum illud *pari parente*, praesertim cum *ut utroque* praecedat. certe non video alterum scriptoris locum, qui cum hoc contendi possit. adcedit quod nulla hic adfectatur figura tali verborum compositione. quapropter ego magis crediderim Apuleium scripsisse 'ut <pari> utroque parente prognatae — sustineremus'.

ibid. 5, 10: *et nunc quidem concedamus ad maritos et lares pauperes nostros sed plane sobrios revisamus domique cogitationibus pressioribus instructae ad superbiam puniendam firmiores redeamus.*

*Domique* Vliet pro *diuque* F, quod sane ferendum non est, scripsit, sed ea lectio vera non videtur. nam adverbium pronom., velut *ibi*, pro *domi*, quoniam *domus* iam illis *ad lares pauperes nostros* satis indicata est, magis desideratur. itaque 'ibique — instructae' reponendum erit. cf. 7, 9 censeo deducendam eam ad quampiam civitatem ibique venundandam; 8, 22 pagum quendam accedimus ibique totam perquiescimus noctem; 9, 33 pervenimus ad praedictos agros

ibique statim meum dominum comis hospes opipari prandio participat.

ibid. 5, 25: *ab isto titubante et saepius vaccillante vestigio deque nimio pallore* <*oris deque macie*> *corporis et assiduo spiritu, immo et ipsis marcentibus oculis tuis, amore nimio laboras.*

*Oris deque macie* Vliet supplevit. melius ille *oris et de macie* scripsisset, quoniam nullo metamorphoseon loco *deque—deque,* ut ne aliarum quidem praepositionum cum *que* coniunctarum repetitiones, confirmare potes. in apologia demum Apuleius talia, ut supra p. 14 exposui, eaque saepius admisit. sed supplemento tradita verba mihi ne egere quidem videntur. nam *deque nimio pallore corporis* recte dicitur et plene sufficit sententiae.

ibid. 5, 26: '*tu quidem*', *inquit,* '*ob istud tam dirum facinus confestim toro meo divorte tibique res tuas habeto, ego vero sororem tuam — iam mihi confestim confarreatis nuptiis coniugabo*'.

Quod Vliet *confestim confarreatis* scripsit pro *c̄festi* arreathis* F, certe veram non est assecutus lectionem. primum enim *confestim* tantulo spatio iteratum parum placet, praesertim cum posito *statim* vel *protinus* molesta ea repetitio vitari potuerit. deinde post *iam* tale adverbium mihi superfluum videtur. latere existimo sub illa scriptura nihil amplius quam *confarreatis.* scriba enim, cum hanc vocem scribere coepisset, sive mente sive oculis aberravit ad vocem similis initii, quam paulo ante exaraverat, scripsitque '*con*festim'; inde ad loci sui apices reversus adiunxit alteram vocis partem *arreatis.* hoc mendorum genus late patet in codicibus, velut in Vindobonensi Livianae quintae decadis et in Puteaneo decadis tertiae; cf. quae dixi ephem. gymn. Austr. 1892 p. 195; Observ. Vellei. p. 50. non raro in errorem inducuntur critici hoc genere vitiorum, ut Vliet hoc loco inductus est. Eyssenhardt iam ante invenerat veram scripturam legendo 'iam mihi confarreatis nuptiis', quam spernere non debuit editor Batavus.

ibid. 5, 28: *tunc vel maxime indignata Venus exclamavit.*

*Vel maxime* cur huc cum Luetjohanno Vlietioque transponamus — nam in codicibus ea verba post *exclamavit* sunt collocata —, nihil video necessitatis. nam *indignata* maiorem

irae gradum significat quam *irata*, quod supra de eadem dea dicitur 'at Venus irata solidum exclamat', ita ut verbum illud adverbio eo nihil indigeat. verborum consecutio, quae codicibus exhibetur, etiam loco metamorphoseon 11, 20 'quare sollertiam somni tum mirabar vel maxime', ubi *vel maxime* post verbum finitum loco ultimo cum pondere collocatum est, adseritur pro genuina. ceterum cf. et met. 5, 28 Venus irata solidum exclamat; 5, 29 quam maxime boans; 6, 2 deprehendit et longum exclamat protinus; 6, 8 statimque quantum maxime potuit exclamavit; flor. 14, p. 163, 7 dein coetu facto maximum exclamat. etiam ex his locis illud discimus, non nude positum fuisse l. l. *exclamavit*, sed iunctum cum adverbio *vel maxime*.

Mox haec Vliet edidit: 'Psychen illam meae formae succubam, mei nominis aemulam si vere diligit, nimirum illud incrementum lenam me putavit, cuius monstratu puellam illam cognosceret'. at vero talis oratio est animi sobrie res reputantis, non irati vehementerque perdolescentis. sic indignatam et dolore incensam Venerem loqui potuisse nego. interrogatio prorsus in priore sententia desideratur, exclamatio in posteriore. quomodo *vere* — nam *si* in F erasum est — hic extiterit, dicere non possum, alienum a loci indole esse sentio. denique *ille*, quod pro *illam* in codicibus extat, non mutatur necessario tenendumque est. itaque sic locum scribendum censeo: 'Psychen ille meae formae succubam, mei nominis aemulam [uere] diligit? nimirum illud incrementum lenam me putavit, cuius monstratu puellam illam cognosceret!'

ibid. 5, 30: *sed male prima <a> pueritia inductus es.*

*A* hoc loco posuit Vliet spreta Michaelis coniectura scribentis *<a> prima pueritia*. sed ut facile *a* post *prima* inseritur, ita falso ibi inseritur. nam sicut alii multi prosae orationis scriptores, ita Apuleius quoque abstinebat praepositionis *a* (*ab*) interpositione. Vliet sane scripturae suae tuendae gratia nos ad met. 4, 26 'mecum primis ab annis nutritus' relegat, sed unum hoc exemplum nihil valet, siquidem causa apparet, cur scriptor praeter usum suum scripserit *primis ab annis*. quippe si pro sua consuetudine dixisset 'mecum a primis annis', duae praepositiones (*cum a*) sese exciperent. quam concursionem vitavit praepositione adiectivo postposita. similiter res se habet 7, 12 dum ista — ego mecum maxima cum indignatione disputo. itaque dubium esse vix potest, quin ordo verborum '<a> prima pueritia' tenendus sit. cf. et 2, 31 sollemnis dies a primis cunabulis — conditus; apol. 5 qui ab ineunte aevo unis studiis littera-

rum — deditus; 14 ab ineunte pueritia ad obeuntem senectam; flor. 17, p. 176, 11 ad hoc ita semper ab ineunte aevo bonas artes sedulo colui. sed non solum l. l. *a* interpositum est a doctis adiectivo et substantivo apud Apuleium, sed alibi quoque. velut Haeberlin met. 3, 13 scriptum voluit 'cape —, oro te, et perdita <a> muliere vindictam, immo vero licet maius quodvis supplicium sume', quam recte contempsit Vliet lectionem praeferendo 'et <de> perfida muliere vindictam — sume'. cf. met. 10, 11 non patiar — de innocente isto iuvene supplicium vos sumere; 9, 37 vindicarent de pollutissimo divite mortem fratris iunioris; 9, 36 pauperes — de insolentia locupletium consueverint vindicari; apol. 99 tamen vindicari de tam inofficioso privigno non recusasset. cf. et Sall. Cat. 50, 4 de L. Cassio — supplicium sumundum; 51, 39 de condemnatis summum supplicium sumebant; 52, 36; 55, 6; 57, 1; Iug. 33, 3 more maiorum de hoste supplicium sumi; 35, 9 si de illo supplicium sumptum foret; Caes. bell. civ. 3, 14, 3 de servis liberisque omnibus — supplicium sumit; Liv. 3, 13, 5; 3, 18, 10; 4, 15, 4; 23, 3, 6. haec Vlietii lectio etiam coniecturae Petschenigii erit anteferenda proponentis 'cape, — oro te, ex perfida muliere vindictam — sume', quoniam Apuleius illis in locutionibus *ex* praepositione non utitur et rara omnino est structura *supplicium sumere ex aliquo*. praeterea in apologia 72 Krueger cum Hildebrandio edidit: 'multis etiam precibus meis <ab> Appiis aufert, ut ad sese in domum matris suae transferat'. quae eo magis respuenda est scriptura, quod hac interpositione *ab* ante *ap*- collocatum est, quem earundem syllabarum concursum in praepositionibus vitabat Apuleius, ut complures alii scriptores elegantes. mihi h. l. tradita lectio integra videtur; nam 'precibus aufert meis Appiis, ut' idem est ac 'precibus extorquet meis Appiis, ut'; cf. met. 1, 24 vix — piscatori extorsimus accipere viginti denarium; 5, 6 extorquet a marito cupitis adnuat; ap. 67 me grandem dotem — mulieri amanti — extorsisse; 93 haec — ingentibus precibus invitae et iratae extorsi.

Apuleius sane subinde praepositiones adiectivo interserit et substantivo, sed non omnes, et ad crisin eius orationis recte factitandam interest scire, quae praepositiones sic collocentur et quotiens. qua de re cum nemodum, quantum scio, plene exposuerit, nunc disseram.

Ac de monosyllabis praepositionibus interponuntur

***ad***: met. 7, 21 et ferinas aversa Venere invitat ad nuptias; 8, 23 quem ad finem cantherium subiciemus?

*cum*: met. 2, 6 me vel ampla cum mercede tradere; 2, 29 et imo cum gemitu populum — adorat; 3, 24 summa cum trepidatione inrepit cubiculum; 4, 3 heiulabili cum plangore — prosilit; 4, 16 iubet summa cum diligentia deportari; 5, 2 haec ei summa cum voluptate visenti; 5, 14 petunt illum praecipiti cum velocitate; 5, 14 licentiosa cum temeritate prosiliunt; 7, 15 magna cum praefatione deducendus; 7, 12 ego mecum maxima cum indignatione disputo; 8, 15 qui me curandum magna ille quidem <cum>*) commendatione susceperat; 10, 12 et itur confestim magna cum festinatione; 10, 24 plenaque cum sanctimonia disposita; 10, 34 toto cum choro professa est; 11, 26 summa cum veneratione propitiatur; apol. 61 summa cum fide et veritate percensuit; 101 omni cum honore mihi nominandus; Socr. 19 uno cum Phaedro — sensit.

*de*: met. 1, 7 ille imo de pectore — suspiritum ducens; Plat. 2, 7 duabus autem aequalibus de causis — regit.

*ex (e)*: mediis e faucibus**) lapidis fontes horridos evomebat. displicuisse Apuleio huius praepositionis interpositionem documento sunt loci met. 8, 21 et iam ex maxima parte consumpto; 9, 37 atque ex maxima parte — elapsum; 10, 16 ex aliqua parte mollius mihi renidentis fortunae; Socr. 8 ex omni parte compositus; Plat. 2, 5 ex parte omni congruit; mund. 14 spirantes ex omni parte.

*in*: met. 4, 1 sicubi forte conterminis in hortulis candens reperirem rosarium; apol. 41 petitam eo in tempore; flor. 9, p. 157, 12 qui magno in coetu praedicavit; 15, p. 164, 6 Icario in mari modica insula est; 20, p. 187, 7 omnibus bonis in rebus; mund. 4 nunc profundo in mari confundit;

*per*: met. 6, 2 totum per orbem Venus — requirit;

*sub*: mund. 17 nam quibusdam sub ter<ris>***) occulti sunt spiritus.

Ex praepositionibus autem syllabarum binarum interponitur solum *circa*: met. 4, 1 diem ferme circa medium;

*) Hoc necessario suppleri non existimo.

**) Hoc tamen exemplum valde est incertum; nam F *medis e raucitus* habet. fortasse *medis eraucibus* = MEDIIS FRAUCIBUS = *mediis faucibus*, quod exhibet $F^2$. cf. 7, 7 mediis Orci faucibus ad hunc evasi modum; 7, 24 mediis Orci manibus extractus; 8, 5 praedam mediis manibus amittimus; 9, 1 mediis lanii manibus ereptus. cf. et met. 7, 28 egesta (egresta F $\varphi$).

***) Haec vero lectio admodum est incerta; nam fuisse etiam potest 'quibusdam <locis> subter'.

8, 30 noctem ferme circa mediam; 9, 30 diem ferme circa mediam. uno loco *circum* postpositum extat: met. 8, 19 quem circum capellae pascentes opilionem esse — clamabant.

ibid. 6, 1: *interea Psyche variis iactabatur discursibus, — inquieta animo, tanto cupidior iratum licet si non uxoris blanditiis lenire, certe servilibus precibus propitiare.*

*Si*, quod Koziol exclusit, tutatus est Weyman (Sitzungsb. der bayer. Akad. 1893, p. 332) aliquot ex posterioris aetatis latinitate exemplis adlatis. inde sane dubium esse non potest, quin *licet si* pro *licet* illa aetate in usu fuerit, sed omnis dubitatio de illius loci scriptura tamen non removetur, quoniam aliis locis similibus Apuleius *licet* constanter utitur, non *licet si;* cf. met. 1, 14 et viam licet trepido vestigio capessere; 2, 12 nec mirum licet modicum istum igniculum — memorem tamen — ignis; 3, 9 et ingratis licet adrepto pallio retexi corpora; 4, 15 et iuncturae rimam licet gracilem saetae — densitate sepimus; 4, 23 nullam — sarcinam vel omnino licet vilem laciniam ferentes; 5, 1 ut diem suum sibi domus faciat licet sole nolente; 6, 36 quam licet claudi pedis tui calce unica finire poteris; 7, 26 tacitus licet serae vindictae gratulabar; 9, 1 licet homini nato dexterum provenire; 33 et licet non delicato, necessario tamen quietis subsidio <recreatus>; 9, 36 licet non rapinis, saltem verbis temperare volens; 10, 2 quam facilis licet non artifici modico, cuivis tamen docto veneriae cupidinis comprehensio; 11, 1 et spem salutis licet tardam subministrante; 11, 24 licet non plene tamen pro meo modulo supplicue gratiis persolutis. tot locos solum *licet* exhibentes dum considero, non possum quin adsentiar Koziolio *si* l. l. delenti. nam quae causa erat scriptori cur hic a sua descisceret consuetudine? nisi ibi *licet si* e dittographia *licet li* provenit, librarium ex usu latinitatis temporis sui *licet* in *licet si* auxisse statuere debebimus. simile vitium deprehenditur apud Val. Maximum 4, 3, 14, ubi scribendum esse 'unus quisque se ab his perinde ac [si a] sacris aedibus abstinuit' Stud. Vind. XVIII (1896) p. 273 demonstravi adsentientemque W. Heraeum habui.

ibid. 6, 1: *haec singula Psyche curiose dividit et discretim semota rite componit, rata scilicet nullius dei fana* <*ac*> *caerimonias neglegere se debere.*

*Ac* inserunt editores, Hildebrandium sequentes ducem. sane facile hoc inter *fana* et *caerimonias* excidere potuit; at

tamen quaeritur, utrum id scriptor dederit an *et* praetulerit. ante gutturalem enim *ac* h. l. positum, atque ante has consonas multi sunt scriptores qui hanc particulam vereantur collocare. itaque oboritur quaestio, sitne Apuleius quoque in iis numerandus. is in metamorphosibus paucissimis locis *ac* ante gutturalem posuit: 1, 24 amplexusque ac comiter deosculatus; 9, 10 redditis ac consecratis; 11, 16 notus ac conspicuus; 11, 21 clementer ac comiter. vides constanter ante *co-* his locis *ac* positum. accedit unus locus ab iis alienus, met. 2, 17 residens a c c r e b r a subsiliens. qua locorum paucitate parum, opinor, l. l. commendatur illius *ac* insertio. multo ego malim ibi scribere *fana* <*et*> *caerimonias*, praesertim cum Socr. 15 extet *fanis et caerimoniis.* ceterum ut appareat, quantopere fugiat scriptor *ac* ante gutturales in hoc opere, hos locos iuvat inde proferre: 1, 6 defletus et conclamatus; 1, 7 gratae atque gratuitae; 1, 18 cibo et crapula; — saeva et gravia; 2, 9 remissos et cervice dependulos; 2, 12 maioris et caelestis; 2, 24 cum oenophoris et calice; 2, 27 defletus atque conclamatus; 2, 31 hilaro atque gaudiali ritu; 2, 32 vastis et crebris; 3, 29 villulas et casas; 4, 2 Veneris et Gratiarum; 4, 19 sebaciis et ceteris — instrumentis; 4, 23 maerentem et crines — lacerantem; 5, 5 dulcissima et cara; 5, 9 seris et catenis; 5, 12 dies ultima et casus extremus; 5, 20 cervicis et capitis; 5, 29 nugo et corruptor; 6, 4 germana et coniuga; 6, 6 passeres et ceterae — aves; 6, 16 consumpsit atque contrivit; 6, 22 in aves et gregalia pecua; 6, 24 cum rosis et ceteris floribus; 7, 3 conservum atque coniugem; 7, 6 clarus atque conspicuus; ib. spretis atque contemptis; ib. manus et gladios; 7, 7 confecta atque concisa; 7, 11 lanceas et gladios; 7, 13 laeti et gaudentes; 7, 15 sarcinis et ceteris oneribus; 7, 23 crassior atque corpulentior; 8, 2 sermonibus — et conversatione; 8, 3 novaeque atque gliscentis; 8, 22 numerosis et continuis; 8, 24 cymbalis et crotalis; 8, 28 incessere atque criminari; 9, 4 casulis atque castellis; 9, 14 spretis atque calcatis; 9, 14 matutino mero et continuo stupro; 9, 17 adfixus atque conglutinatus; 9, 22 suasum et confirmatum; 9, 31 maesta atque crines — quatiens; 9, 37 multis et crebris; 9, 42 contentione et clamoso strepitu; 10, 20 maxillas et cervices; 10, 21 pulcherrimo atque copioso; 10, 24 mentitam atque cuncta fingentem; 11, 9 ceteris unguentis et geniali balsamo; 11, 9 veste nivea et cataclista; 11, 13 os et caput; ib. claraque et consona voce.

Sed Vliet non satis habuit l. l. *ac* scribere ante gutturalem e coniectura, verum 8, 25 cum Petschenigio edidit 'omnipotens et omniparens Dea Syria et sanctus Sabadius et Bellona et Mater Idaea <a c> cum suo Adone Venus do-

**mina caecum reddant'. ubi vel propter cetera membra per *et* adiuncta scribendum fuerat 'et Mater Idaea <et> cum suo Adone Venus.' accedit quod sescentis locis Apuleius ante *cum* posuit *et*, numquam *ac* aut *atque*; cf. met. 1, 6 et cum dicto — obtexit; 1, 16 et cum dicto restim — adgredior expedire; 1, 17 et cum dicto Socraten deosculabar; 1, 18 et cum dicto manticam — exuo; 1, 22 et cum dicto modico secus progressus; ibid. et cum dicto rursus foribus oppessulatis; 2, 18 et cum impendio excusarem; 3, 5 et cum me viderent in ferro; 5, 24 et cum termino sermonis — se proripuit; 6, 12 et cum primum — laxaverint oves animum; 8, 21 et cum pastoris sermone conlata; 9, 7 et cum dicto nudatus ipse; 9, 15 et cum tempestivo prandio laxarentur iumenta; 10, 22 et cum dicto vacuas fuisse.**

Sic in metamorphosibus res se habet; iam ad apologiam transgrediamur. ibi nullus extat locus, quo *ac* ante gutturalem sit collocatus; cf. ex. gr. 8 maledictis et calumniis; 16 in tumidis vero et globosis; ib. campo et glebis; 18 simpulo et catino; 24 olitori et cauponi; 40 conexa et catenata. quod scitu opus est, ut intellegas, quid tribuendum sit Vlietii invento 28 'primum igitur argumenta eorum r e f u t a b o a c c o n v i n c a m (convincam ac refutabo F φ) nihil ea ad magiam pertinere'. scilicet incolumis est tradita scriptura; nam *refutabo* breviter dictum est sensu *refutando efficiam*. cf. 45 ego non factum revinco; Min. Fel. Octav. 16, 4 quod ne fiat ulterius, c o n v i n c a m e t r e d a r g u a m, quamvis diversa, quae dicta sunt, una veritate confirmata probataque; cf. et paneg. 11, 3, p. 246, 24 quominus redarguerem atque convincerem.

Iam vero in Floridis unum locum repperi ante gutturalem *ac* exhibentem, qui est 9, p. 158, 7 'item satiras a c griphos', sed is ipse nititur coniectura, non integer servatus est; nam 'satyra sacreppus' habet F, unde litteris rite divisis fit 'satyras a creppus'. quis praestat sub illo *a* delitescere *ac*, non *et*? cf. 2, p. 147, 4 circumtuetur et quaerit; 9, p. 155, 11 cum torno et cothurno; 12, p. 161, 15 cingitur et coronatur.

Item in libris philos. Apuleium *ac* ante gutturalem constanter fugitare licet observare. cf. Socr. 7 munus atque opera atque cura est; 14 cruores et colores; 15 placato et quieto; ib. communio et copulatio; ib. fanis et caerimoniis; 17 cognovit et coluit; 18 animus et gladius; 20 similius et gratius; 21 exemplo et commemoratione; 22 numerosissimas et calamistratas; 23 capiti et collo; Plat. 1, 3 continentiam et castitatem; 1, 6 mutari et converti; 1, 8 apta et conexa; ib. adversantia et contraria; 1, 9 perenni et constanti; 1, 9 percipitur atque concipitur; 1, 14 terrenum atque corporeum;

1, 16 iuncturis et copulis; ib. frigoris et caloris; 1, 18 irascentiam et consilium; ibd. anima et corpus; 2, 7 societatis et concordiae; ib. custos et communicatio; 2, 8 apta et conveniens; 2, 9 fortitudinem et continentiam; 2, 14 mediocris ingenii et cupidinis modicae; ib. nexuque et consortio; 2, 20 securum et confidentem; 2, 22 laudis et gloriae; 2, 23 universitate et constantia; 2, 26 rerum et convenarum; 2, 28 desideriis eius et cupiditatibus; mund. 3 nivibus etiam et glacie; 6 Hyrcanium et Caspium; ib. Gallicum <sinum> atque Gaditanum; 8 nix atque grando; 16 humidam et cavam; ib. in acutis et gravioribus; 21 humidis arida et glacialibus flammida; ib. orientium et conditorum; 29 amoenus Lucifer et communis Cyllenius; 32 tutela — et cura; 34 mutationes et conversiones; 35 iussis legum et communis imperii; 36 agrestium et cicurum; 38 futuri et consequentis.

Sane et hic ab editoribus peccatum. velut Goldbacher mund. p. 105, 9 scribi posse putavit 'sed conducere ac <con>cinere (accidere codd.) tam bonas artes et eiusmodi operam cum ingenuitate professionis suae credidit et congruere istiusmodi curam talibus studiis et moribus'. tra-
*al. cidere*
dita memoria sic intellegenda videtur: *conducere* i. e. '*conducere*, alibi *concidere*' et alterutra lectio recipienda. cf. de hoc vitio met. 7, 18 totum me compilabat [cidit] fusti. idem Goldbacher mund. 38 sic edidit: 'non frustra arbitrabitur, qui audiet Platonis haec verba: „deus namque, sicut vetus — continet ratio, principia et fines et media rerum omnium penetrat atque inlustrat ac curru (illuxtrata curru L, illustrata curri P, illustrat et curru F) volucri superfertur".' hic ipsa sententiarum natura ac ratio ostendit *ac* prave se habere et alio modo locum emendandum esse. nam illa 'curru volucri superfertur' non ex aequo ponenda sunt sententiae 'deus — penetrat atque inlustrat', sed ei subicienda. nam deus cuncta rerum penetrat atque inlustrat, cum superfertur curru. hoc etiam ex Platonis verbis ipsius (legg. IV p. 715 E) apparet: ὁ μὲν δὴ θεός, ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων εὐθείᾳ περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος. dubium esse non potest, quin Apuleius scripserit: 'et media rerum omnium penetrat atque inlustrat, <dum> curru volucri superfertur.' cf. 36 mundi universitas regitur, dum speculatur ad omnia rector eius atque inmutabiliter incumbit; 15 auditus, dum ad aures venit, seriore sensu concipitur; Plat. 2, 25 ut, dum suos liberos nesciunt, omnes — suos credant. particulam *dum* a librario omissam esse putandum est, ut omissa est met. 6, 24 tunc <dum> poculum — ministrabat; 4, 25 sed <dum> astans ego non

procul dolebam. quod *inlustrata* traditum est pro *inlustrat*, non multum valet; nam hoc scriptum erat propter *penetrata* — sic enim habent PL —, quod extitit assumpta *a* littera ex sequenti *atque*.

Ut quae hic fusius exposuimus breviter comprehendamus, Apuleius *ac* ante gutturalem in metamorphosibus paucissimis locis admisit, evitasse videtur constanter in ceteris libris suis.

ibid. 6, 2: *pauculos dies delitescam, quoad — meae vires diutino labore fessae quietis intervallo leniantur.*

In *leniantur* non est cum Rohdio offendendum neque *leventur* scribendum; nam integra est tradita scriptura. etenim quem ad modum met. 1, 7 homo fatigatus poculo dicitur mitigari, sic h. l. vires, quae animanti adsimulantur, labore fessae dicuntur leniri.

ibid. 6, 4: *'quam vellem' inquit '<si> per fidem <liceret>, nutum meum precibus tuis accommodare!'*

Nulla necessitate coactus Vliet duobus locis tradita verba explevit addito *si* atque *liceret*. nam *per fidem* solum sufficit; interiectio enim est adiurantis vel adseverantis nec multum a *mehercules* distat. cf. Petron. sat. 100, 5 per fidem, inquam, pater, cuius haec navis est; Dial. de or. 35 quales, per fidem, et quam incredibiliter compositae! saepius idem in maioribus declamationibus qui feruntur Quintiliani legitur.

ibid. 6, 10: *tunc formicula illa parvula atque ruricola † certata difficultatis tantae laborisque miserta contubernalis magni dei socrusque saevitiam execrata discurrens naviter convocat corrogatque cunctam formicarum accolarum classem.*

*Certata* corruptum est. cuius vitii tollendi gratia legunt *certa* vel *certa tum* sensu *certior facta*. sed *certa* ea vi positum parum est probabile. verum iam Hildebrand invenisse mihi videtur, cum proposuit *cordata* i. e. prudens. recurrit haec vox 5, 31 mater autem tu et praeterea cordata mulier filii tui lusus semper explorabis curiose et in eo luxuriam culpabis. mirum est, quod spernunt editores egregium hoc Hildebrandii inventum quodque Vliet ne mentione quidem dignum in adnotatione illud existimavit. cf. et met. 11, 5.

ibid. 6, 11: *sed Aurora commodum <caelum> inequitante vocatae Psychae Venus infit talia 'videsne illud nemus*

*quod fluvio praeterluenti ripisque longis attenditur, cuius imi frutices vicinum fontem despiciunt? oves ibi nitentis <solis> aurive colore florentes incustodito pastu vagantur.*

Scriptura 'nitentis <solis> aurive colore', quam Vliet exhibuit, incertissima est. ad *nitentes* — sic enim F habet — requiritur ablativus, qui opponatur illis *auri colore.* fortasse scriptum fuit: 'oves ibi <adipe> nitentes aurique colore florentes.'

ibid. 6, 11: *interim Cupido solus interioris domus aurei cubiculi custodia clausus cohercebatur acriter.*

*Aurei* Vliet scripsit pro *unici* F nulla probabilitate. neque Rohdio adsentiendum *intimi* proponenti aut Traubio *gynaecei* legenti excluso *cubiculi.* nam in tradita scriptura nihil est offensionis eaque ideo retinenda erit. Cupido enim dicitur uno cubiculo domus interioris, non pluribus, clausus custodiri. sensu *unus* frequentatur ab Apuleio illud *unicus.* cf. met. 6, 26 quam (anum) licet claudi pedis hic calce unica finire poteris; 7, 3 nec mihi tam licebat causam meam defendere vel unico verbo saltem denegare; 8, 20; 9, 3; 9, 15; 10, 13; 11, 5.

ibid. 6, 12: *nec vero istud horae contra formidabiles oves feras aditum, quoad de solis flagrantia mutuatae calorem truci rabie solent efferri.*

Primum de lectione *quoad de* est cur dubites. nam *quo ad** F habet, ortum ex *quo ade* — nam sic in φ scriptum —, et *quoad* parum aptum videtur, cum illud *istud horae* magis explicandum sit. desideratur *cum* vel *quando.* puto ex *quoa* efficiendum esse *quom*, ita ut sub *A* prior pars M lateat, et scribendum: 'nec vero istud horae — feras aditum, quom de solis flagrantia . . . ' cf. flor. 15, p. 165, 21 musicaeque omnis multo doctissimus ac ferme id aevi, quo<m> Polycrates Samum potiebatur. cf. et supra p. 24.

Deinde *efferri* in *efferari* videtur mutandum, id quod iam Colvius cumque eo nuper Kronenberg factum volebat. Apuleius quidem eos, qui ira vel furore concitantur, non dicit alibi efferri, sed efferari, velut met. 9, 2 nonnulla iumenta efferari iam simili rabie; 9, 40 magisque (militem) in suam perniciem advertit efferari; 10, 24 tunc illa uxor — libidinosae furiae stimulis efferata — nudatam — ultime verberat; apol. 28 atque ita in me ac matrem suam nefarie efferatum; cf. et met. 8, 29 infandis uriginibus efferantur; ap. 18 paupertas — neminem tyrannide efferavit;

Socr. 3 et (se) prope exesa mansuetudine generis sui immane efferavit. cf. et Liv. 2, 29, 9 efferatus hinc plebis odio, illinc patrum laudibus; 5, 27, 10 efferati odio iraque.

ibid. 6, 12: *sed dum meridies solis sedaverit vaporem —, poteris sub illa procerissima platano — latenter abscondere.*

Verbum *abscondendi* absolute hic positum sensu *te abscondere* putant. sed admodum dubium est, adhibueritne revera Apuleius verbum illud ea ratione. nam alibi non est vestigium apud eum talis usus, siquidem omnibus locis verba, quae sunt *recondere*, *abscondere*, *abdere*, *occultare*, pro transitivis usurpantur. cf. met. 2, 25 teque ad tui similes masculos recondis; 4, 15 iamque habili corio — sese recondit; 7, 2 procul ac procul abderet sese; 8, 5 et nos quidem cuncti — arboribus latenter abscondimus; 9, 40 seque cum suo sibi asino tantisper occultaret; 9, 41 placuit, ut ipse quidem contubernio se tantisper absconderet; ap. 16 quando se imago eodem speculo — recondat penitus. itaque accusativus *te* l. l. intercidisse videtur et scribendum: 'poteris <te> sub illa — platano — abscondere'. cf. Socr. 24 quin igitur et tu ad studium sapientiae <te> ingeris.

ibid. 6, 16: *sed haud immaturius redito, quia me necesse [est] indidem delitam theatrum deorum frequentare.*

Quia *est* in F a manu secunda additum est, Vliet illud inclusit, quamquam in φ extat a prima manu exaratum. sed *est* supplendum esset eo loco, si vel prorsus in codicibus deesset. nam Apuleius *necesse* sine verbo *esse* non ponit: met. 8, 10 illud concedas necesse est; 11, 23 ignores tamen necesse est; apol. 13 non tamen ex eo accipi me necesse est exornari quoque ad speculum solere; ibid. illud etiam doceas necesse est; 20 prius avarum doceas necesse est; 30 confitearis necesse est; 47 alterum horum fatearis necesse est; 54 quod ideo te necesse est interrogare; 55 etiam quod non necesse est confitebor; 102 necesse est quaepiam causa praecedat; flor. 6 p. 151, 7 et illis — necesse sit ultionem petere; 17 p. 176, 20 quoniam necesse est <gratam praesentiam> eiusdem esse; 24 p. 191, 14 lapides temerario iniectu poni necesse est; Plat. 1, 12 quas cotidie fieri necesse est; 1, 15 et ad hoc unum occupari nobis dies noctesque esset necesse; 2, 22 osor quoque nec amicus virtutum sit necesse est; 2, 24 ac si necesse sit; mund. 31 et tamen fateantur omnes necesse est huius opera omnia — provenire.

Apol. 89 scribunt editores 'nam necesse non est'. sed cum alibi Apuleius *necesse* ab *est* non dividat voce aliqua interposita cumque idem ap. 55 'etiam quod non necesse est confitebor' et 13 'non tamen — necesse est' dicat, nescio an l. l. rectius scribatur 'nam non necesse est'. etenim F habet: 'necesse [nõ] ē'. cf. et apol. 80 eoque ei fides non habenda est.

ibid. 6, 20: *nec offerentis hospitis sedile delicatum vel cibum beatum amplexa, sed ante pedes eius residens humilis, cibario pane contenta, Veneriam pertulit legationem.*

*Humilis* de mendo mihi est suspectum. nam res indicanda in sententia est, in qua Psyche consedit, quae opponatur illi *sedile*. legendum videtur *residens humi*. ita etiam propter c. 19 scribendum erit, ubi turris Psychae hoc praecipit ut faciat: 'sed tu et humi reside et panem sordidum petitum esto'. cf. et met. 1, 11 humi recidens inversum coperit ac tegit; 5, 25; 6, 37; 7, 21. librarius vocem extendit, ut saepius alibi. videndum, ne et met. 3, 11 tale vitium agnoscendum sit. ibi enim 'verum statuàs et imagines dignioribus me[is]que maioribus reservare suadeo' sententiae sufficit. Vliet *meisque* F in *me<rit>isque* auxit.

ibid. 6, 26: *dum sic immitissimi homines altercant de mea nece, iam et domum perveneramus.*

Vliet Cornelisseni recepit coniecturam *sic immitissimi* pro F φ lectione *secum mitissimi*. illud *sic*, quo is sermo, qui praecedit, comprehenditur, recte hic scribi adsentior; sed vocula ea addenda est, non e *secum* elicienda, quoniam non est cur hoc mutemus. patrocinantur quidem ei complures loci Apuleiani, velut met. 4, 29 sic secum disserit; 5, 16 sic secum altercantes; 6, 30 dum sic mecum fustem quatiens benignus iocatur comes. sed etiam *mitissimi* ferri potest, si modo ironice hoc adiectivum, ut multa adiectiva sic apud Apuleium ponuntur, dici concedimus. cf. supra 6, 30, ubi *benignus* sic adhibitum; 9, 7 nec quicquam moratus ac suspicatus acer et egregius ille maritus — inquit; 9, 8 purissimi illi sacerdotes novum quaestus genus sibi comminiscuntur; 10, 24 tunc illa uxor egregia sororem — verberat; 7, 18 insiliens, exiguum scilicet et illud tantae molis superpondium; 8, 12 en — fidus coniugis mei comes, en venator egregius, en carus maritus; 1, 14 et illae probae et fideles ianuae — vix tandem — patefiunt. itaque

hanc pro vera habeo lectionem: 'dum <sic> secum mitissimi homines altercant de mea nece'.

ibid. 6, 32: *mortuae bestiae ipsa vivens ventrem habitabit, tum faetore nimio nares aestuet, inediae diutinae letali fame tabescet nec suis saltem liberis manibus mortem sibi fabricare poterit.*

Coniunctivo *aestuet* turbatur harum sententiarum aequalitas. quam cum alibi scriptor adfectet, verisimile est culpa librarii coniunctivum illum extitisse et olim *aestu<ab>it* hic scriptum fuisse. in eadem opinione etiam Alf. Kirchhoffium esse nunc video. cf. et met. 6, 24 *cant<ab>at.*

ibid. 7, 3: *sed quid ego pluribus de Fortunae saevitate conqueror?*

In voce *saevitate* est cur haereamus. nam cum omnino rara ea est — lexica quidem tantum e Prudentio et Firmico exempla commemorant —, tum, quod gravius est, Apuleius semper pro ea dicit *saevitia*: met. 1, 15 sed saevitia cruci me reservasse; 3, 3 saevitia eius interemptos; 5, 22 fati tamen saevitia subministrante; 6, 10 socrusque saevitiam execrata; 6, 19 canis saevitiam — redime; 8, 5 vel suae saevitiae litatum; 9, 2 incurrisse pari saevitia; 9, 3 increscente saevitia; 9, 15 quae saevitia — ampliaverat; 11, 2 inexorabili me saevitia premit. ego ne loco quidem, de quo agimus, vocem *saevitatis* fuisse existimo et *scaevitate*, ut habet iam $F^2$, legendum esse mihi persuadeo. et quidni ita scribamus, cum in iis, quae antecedunt, tam de fortunae scaevitate quam de eius saevitia agatur? cf. c. 2 imprimis verba 'subiitque me non de nihilo veteris priscaeque doctrinae viros finxisse ac pronuntiasse caecam et prorsus exoculatam esse Fortunam'. cf. et 3, 14 tuum factum <fortunae> scaevitas consecuta; 4, 2 fortunae meae scaevitatem anteire non potuit; 2, 13 fortunam scaevam an saevam — miser incidit. cf. et 9, 10 indignae rei scaevitatem.

Item 5, 9 hanc vocum confusionem subesse existimo. nam legi oportere iudico: 'en orba et scaeva (saeva codd.) et iniqua Fortuna'. primum enim *iniqua* languet post *saeva*; tum in re, quae deinceps narratur, Fortunae magis scaevitas inest quam saevitia. recepta quam propono lectione existit lepida gradatio: fortuna 1. orba (= caeca) 2. scaeva 3. iniqua. de adiectivo *scaevus* cf. 2, 13; 4, 19 his omnibus — occurrit scaevus eventus; 7, 20 in rebus scaevis adfulsit fortunae nutus hilarior; 9, 14 saeva scaeva, virosa ebriosa.

ibid. 7, 7: *quo tunc Macedonia delapsi grassabamus.*

Vliet retinuit codicum scripturam *grassabamus*, qua in re assentiri ei non possum. nam Apuleius aliis locis verbo *grassandi*, ut par est, pro deponenti utitur, velut met. 2, 17 derige et grassare naviter; 8, 17 diuque grassati — prosternunt; Socr. 10 deorsus grassantur; Plat. 2, 17 non sponte grassari malitiam. deinde non pauci sunt loci, id quod in adnotatione ad met. 9, 40 ostendam, in F, quibus *s* et *r* confundantur. his ex causis non dubito, quin l. l. *grassabamur* Apuleius scripserit.

Simile mendum met. 4, 11 residet, ubi Vliet cum F edidit 'remedium e re nata validum eo volente comminiscimus'. nam et hic ex usu scriptoris *comminiscimur* procul dubio dandum. cf. met. 2, 22 latebras — comminiscuntur; 2, 27 sero reminiscor; 2, 31 aliquid — comminiscaris; 4, 14 tunc e re nata subtile consilium — comminiscimur; 6, 15 commentus ob iussum Veneris petere; 6, 30 reminiscor doloris ungulae; 7, 19 denique tale facinus in me comminiscitur; 9, 8 novum quaestus genus sibi comminiscuntur; 9, 16 quod — commentus est; 10, 24 tale denique comminiscitur facinus; apol. 54 eminiscere, excogita; 78 an sola Phaedra — commenta est; 102 eminiscimini, quod respondeatis; flor. 18, p. 183, 9 de sole commentus est.

At contra flor. 7, p. 153, 19 *imitarent* pro *imitarentur* F scribere non dubitem concinnitatis gratia, praesertim cum eandem ob causam ibi *contemplarent* positum extet: 'ne qui — temere adsimularet, ut pauci — studium contemplarent, ne rudes — philosophos imitarent et disciplinam — contaminarent'.

ibid. 7, 12: *cognosco non* <*esse*> *Haemum illum praedonem famosum, sed Tlepolemum sponsum puellae ipsius.*

*Esse*, quod addidit Vliet, nihil opus est; facile subauditur, ut multis locis Apuleianis in acc. c. inf.; cf. met. 6, 15 diis etiam ipsique Iovi formidabiles aquas istas <numquam> vel fando comperisti; 7, 20 iam se nequitiae meae proclamans imparem; 8, 17 coloni multitudinem nostram latrones rati; 8, 24 at ille Cappadocum me et satis forticulum denuntiat; 10, 9 quod aegroto cuidam dicebat necessarium; 10, 10 ut eum nemo prorsus a culpa vacuum merito crederet; 11, 1 quod eum numerum — religionibus aptissimum divinus ille Pythagoras prodidit; 11, 29 teque — praesume semper beatum; apol. 31 Pythagoram plerique Zoroastri

sectatorem similiterque magiae peritum arbitrati; — si quid in his utile ad magiam comperisset; 67 quae omnia tam falsa, tam nihili, tam inania ostendam; 78 amatricem eam, me magum et veneficum clamitaret; 79 vos tot argumentis — magum me non probatis; 82 me talem virum — nunc — magum dictitaret.

ibid. 7, 13: *et illas quidem divitias* <*in*> *publicam custodelam commisere, Tlepolemo puellam repetitam lege tradidere.*

Sic Vliet locum scripsit probata Bursiani coniectura, qui *in publicam custodelam* pro *publica custodela* F φ proposuit. sed ex Apulei usu loquendi apparet *publicae custodelae* sinceram esse scripturam; cf. met. 2, 18 sic paratus cenae me committo; 3, 15 quaecumque — commisero — pectoris tui penetralibus; 4, 7 cui soli salus — tot — iuvenum commissa videbatur; 4, 11 corpus mari — celandum commisimus; 4, 17 fatigatam (bestiam) coetui multarum — committere ferarum; 7, 24 meque protinus pernici fugae committo; 8, 25 iumento fero posse deam committere; 11, 21 quis tamen tuto possint magna religionis committi silentia; 11, 28 impaenitendae te pauperiei cunctaris committere; 10, 23 et arcanis domus venerabilis silentii custodiae traditis; apol. 53 alienae custodiae commendabam; 10, 25 defletam puellam tradunt sepulturae; — Macr. Somn. Scip. 1, 3, 9 et fidae custodiae celanda committens. atque illa scriptura 'divitias publicae custodelae commisere' eo magis tenenda est, quod cum ea congruit subsequens sententia 'Tlepolemo puellam — tradidere'.

ibid. 7, 12: *cuncti denique, sed prorsus omnes vino sepulti iacebant, omni parati morti.*

Verba ultima Vliet ex 'ōs partim mortui' F elicuit. sed verisimilius est adnotationem marginalem *omnes partim mortui* pertinentem ad illa *omnes vino sepulti* in verba scriptoris delatam esse atque ideo inde plane removendam. frustra desudant critici in his verbis corrigendis.

ibid. 7. 16: *sic apud historiam de rege Thracio legeram, qui miseros hospites ferinis equis suis lacerandos devorandosque proiciebat.*

Etiam sana interdum Vliet attrectavit, in quibus locis etiam hic est habendus. nam *porrigebat*, quod codices exhibent, inte-

grum est nec in *proiciebat* mutandum. nam feris equis hospites porrigi poterant sine alentis periculo, si illi aut alligati erant ad praesaepe, ne porrigenti victum nocerent, aut in tuto loco praeclusi. eo autem minus verbum *porrigendi* hinc exterminem, quo saepius illud usurpatum reperio apud Apuleium; cf. met. 1, 18 caseum cum pane propere ei porrigo; 2, 16 porrigit bibam; 2, 21 porrigit dexteram; 2, 21 ceteros eminus porrigens; 3, 6 quem dum sibi porrigi flagitat; 3, 7 porrectis in preces manibus; 3, 9 manum denique ipsam — super ipsa cadavera porrigunt; 3, 16 mihique (lorum) porrigens; 4, 2 in modum floris odori porrectos caliculos; 6, 7 libellum ei porrigit; 6, 18 fusticulos aliquos porrigas ei; 7, 4 nec manum validam — porrigeret; 7, 18 cum deberet — manum porrigere; 9, 18 porrecta enim manu sua; 10, 7 poculum — sua postremum manu porrexisse puero; 10, 25 aegroto medicus poculum — manu sua porrigebat; 10, 27 longe lateque cruentas suas manus porrigit; 10, 30 ei qui Paris videbatur porrigit; 11, 10 lucernam claro praemicantem porrigebat lumine; 11, 13 et ultro porrecta dextera; 11, 25 salutarem porrigas dexteram; apol. 89 porrige tu Aemiliano tabulas istas.

ibid. 7, 23: *'nefas' ait 'tam bellum asinum sic enecare et propter luxuriem lasciviamque, amatoria crimina, tam <utili> opera servitioque tam necessario carere.*

Sic Vliet locum scripsit, in F habetur *amatoriam criminatum opera.* sed ordo verborum 'tam utili opera servitioque tam necessario' non est Apuleianus; eius propria est haec collocatio 'tam utili opera tamque necessario servitio'; cf. met. 4, 21 tanto tamen terrore tantaque formidine coetum illum turbaverat; 4, 24 tam caris vernulis, tam sanctis parentibus desolata; 9, 25 qui tanto calore tantaque rabie perculsus; 10, 6 tanta denique miseratione tantaque indignatione; apol. 9 quis umquam fando audivit tam <veri>similem suspicionem, tam aptam coniecturam, tam proxumum argumentum; 19 virum tam austerae sectae tamque diutinae militiae; 78 tanta mollitia animi, tanta formido ferri est; flor. 16, p. 170, 20 tam inopinatae rei, tam formosae mortis miraculo. cf. etiam met. 1, 2 in verba ista haec tam absurda tamque immania; 1, 18 cicatrix tam alta tam recens; 3, 1 tam mitis tamque benevolus iudex; 4, 7 nostris tam magnis tamque periculosis laboribus; 4, 28 tam praecipua tam praeclara pulchritudo; 9, 27 tam venustum tamque pulchellum puellum; 10, 13 tam stultus — tamque vere asinus; 10, 15 tantus — ac tam liberalis cachinnus; 10, 22 tantis tamque magnis cruribus; 10, 22 tam lucida tamque tenera;

apol. 33 tam necessaria — tamque rara; 63 tam puris et tam piis manibus; 87 tam absurdis tamque tabernariis blanditiis; 103 a tam bono tamque emendato viro. quare l. l. Vlietii emendationem totam probare vix licet. *amatoria crimina* recte inventum est; nam apte hoc accedit ad illa *luxuriem lasciviamque* explicanda. at vero *tam utili* reiciendum videtur. nam *utili* necessarium non est, quoniam hoc inest in *necessario*, quod sequitur. sub *tum* latere potest *tam* a librario ex sequentibus errore praeceptum. itaque reponendum existimo: 'et propter luxuriem lasciviamque, amatoria crimina, [tum] opera servitioque tam necessario carere'. de illo *tam necessario* ad *opera servitioque* pertinenti cf. met. 7, 11 inter lanceas et gladios istos scortari tibi libet.

ibid. 8, 1: *erat in proxima civitate iuvenis natalibus praenobilis, qui eo clarus et pecuniae fuerat satis locuples, sed luxurie popinali scortisque et diurnis potationibus <aere alieno> exercitatus atque ob id factionibus latronum clam sociatus, nec non etiam manus infectus humano cruore, Thrasyllus nomine.*

Multa hoc loco Vliet novavit, in iis *clam* ille pro *male* F posuit. ego non existimo virum doctum *clam* scripturum fuisse, si quomodo Apuleius hac voce uteretur comperisset. nam numquam eam adverbii instar adhibet, sed semper eo sensu *clanculo* usurpat: met. 3, 8 puer clanculo profugit; 3, 16 clanculo praecepit auferre; 7, 11 partisque subreptas clanculo — offerebat; 9, 9 ab ipsis pulvinaribus — clanculo furati; 10, 14 cotidie furatis clanculo partibus; apol. 40 praesertim quod nihil ego clanculo, sed omnia in propatulo ago; 86 quam — miseras clanculo ad Pontianum; flor. 15, p. 163, 3 profugit ex insula clanculo Pythagoras. semel legitur certo *clam* apud Apuleium, apol. 77 'non clam se esse', sed hic praepositio est, non adverbium. itaque l. l. *clam* exturbandum erit. id eo facilius fieri poterit, quod nihil impedit, quominus *male* F servemus. nam 'factionibus latronum male sociatus' sensu dictum est 'male erat, quod factionibus latronum sociatus erat'. similiter positum legitur *male* met. 8, 12 oculi isti, quibus male placui (= male erat, quod iis placui).

Sed non solum met. 8, 1 Vliet *clam* adverbii vi e coniectura scripsit, verum etiam met. 9, 40, ubi Rohdii recepit opinionem: 'nec oblitus ille veteris amicitiae prompte suscipit meque per scalas complicitis pedibus in superius cenaculum adtracto hortulanus deorsus in ipsa taberna clam derepit in quandam cistulam et supergesto <cooperculo clauso> delitescit orificio'. nam *in ipsa tabernacula* in F φ δ extat scriptum. in illa Rohdii lectione non solum *clam* falsum est, sed

etiam *in ipsa taberna* displiceat necesse est. nam in taberna vel domicilio amici sui hortulanum in cistulam derepsisse consentaneum est nec erat cur hoc diserte commemoraretur. itaque *in ipsa tabernacula* non corruptum existimem, sed adnotationem esse e margine huc delatam, pertinentem fortasse ad *deorsus*. cum illis *deorsus derepit* cf. met. 1, 19 neque deorsum demeare; 8, 2 firmiter deorsus delapsum nutriens amorem; Socr. 10 deorsus degrassantur; cf. etiam met. 3, 6 retro reflexum.

ibid. 8, 3: *diu diuque deliberaverat secum Thrasyllus, quo <modo> vel clandestinis colloquiis opportunum repperiret locum.*

Pro *diuque* codex F *denique* habet, quam non video cur relinquamus scripturam. in posterioris aetatis latinitate non propria vi *denique* frequenter usurpatur, sed notione particulae orationem continuantis i. e. sensu fere *deinde, porro, autem.* sic est saepe *denique* positum apud scriptores hist. Aug., sic etiam subinde apud Apuleium. etiam allitteratione '**de**nique **de**liberaverat' tradita memoria defenditur. ceterum cf. 3, 26 diu denique ac multum mecum ipse deliberavi, an — feminam — necare deberem; 11, 26 diu denique gratiarum gerendarum sermone prolixo commoratus. mox satis audacter Vliet *vel* pro *nec* F scripsit. rectius hoc *nec* ex *sec* ortum putes idque ex *secum* iteratum iudices. *modo,* quod desideratur, illo *sec* sane expelli potuit, sed tamen dubito an scripserit Apuleius 'diu denique deliberaverat —, quo <modo> clandestinis colloquiis — reperiret locum'. nam observavi *quo modo*, sive illud relativa vi ponatur sive interrogativa, defugere. hunc scriptorem et *quem ad modum* praeoptare. cf. met. 1, 25; 2, 13; 9, 13; 9, 30; 9, 31; 10, 7; 10, 22; Plat. 2, 23; 2, 26; 2, 27; mund. 1. *quo modo* legitur tantum Plat. 1, 17 quomodo congruit et generi singulorum. item *ad hunc (istum, eundem) modum* dicit Apuleius constanter pro *hoc (isto, eodem) modo*: met. 3, 21; 4, 15; 6, 4; 6, 8; 7, 7; 7, 17; 8, 6; 8, 13; 8, 18; 8, 24; 8, 29; 9, 4; 9, 8 (bis); 9, 39; 10, 7; 10, 12; 10, 26; 11, 3; 11, 11; 11, 16; 11, 25; 11, 28; ap. 16; 30; 58; 82; 88; flor. 11, p. 161, 8; Socr. 18; Plat. 2, 24 (bis); mund. 20; 36. *eodem modo* occurrit tantum Plat. 1, 6 semper et eodem modo et sui par — invenitur. at contra frequentatur *quo pacto, hoc (eo) pacto*; cf. met. 7, 14 consilium datur, quo potissimum pacto digne remunerarer; 10, 22 reputans quem ad modum — possem matronam inscendere —, novissime quo pacto — mulier susciperet; ap. 5; 29; 32; 54; Plat. 2, 10. quoniam l. l. 'quem <ad

modum> clandestinis colloquiis — reperiret locum' multum distat a tradita scriptura, nescio an probandum sit 'quo pac<to> clandestinis . . . ' sed et de lectione 'qui clandestinis . . . ' cogitari possit; cf. met. 2, 11 percontanti marito, qui comperisset istud; 3, 12 nec qui laverim, qui terserim, qui domum rursum reverterim prae rubore memini; 6, 5 qui scias an etiam — reperies; 6, 7 et indicia qui possit agnosci manifeste designes; ap. 16 qui fiat ut — visantur; 17 velim mihi respondeas, qui potuerim — mittere; 35; 61; 84; Socr. 12.

ibid. 8, 7: *sed officiis inferialibus statim exactis puella protinus festinat ad maritum suum demeare.*

*Exactis* scripsit Vliet ex Elmenhorstii opinione; in F **factis* inest, in φ vero *eractis.* illud *exactis* vix pro certa haberi potest lectione; nam non adseritur usu loquendi Apuleiano. cf. met. 1, 5 uxor persolutis feralibus officiis; 4, 34 perfectis igitur feralis thalami — sollemnibus; 9, 31 completis apud tumulum sollemnibus; 9, 30 peractisque feralibus officiis; 11, 22 ac matutino peracto sacrificio; 11, 24 et perfectis sollemnibus processi; 11, 27 matutinis perfectis salutationibus. inde l. l. aut 'officiis inferialibus statim <per>fectis' aut, id quod imprimis φ memoria commendatur, 'officiis inferialibus statim <p>eractis' scriptum fuisse verisimile est.

ibid. 8, 14: *tunc propere familiares miserae Charites accuratissime corpus ablutum inunita sepultura ibidem marito perpetuam coniugem reddidere.*

*Inunita* Vliet cum Rohdio scripsit, in F *munita* legitur scriptum. sed lectio *inunita* non est certa. nam *m* littera in *munita* F existere potuit geminata *m* antecedentis vocis *ablutum*, ita ut iure scribas 'oblutum [m] *unita*'; cf. 11, 6 nec quicquam rerum [m]earum reformides; apol. 38 cu*m* [me] cognitu. voce *unitus* Apuleius certe usus est apol. 15 'proliquati et lumini extrario mixti atque ita uniti, ut Plato arbitratur'. editores etiam met. 11, 27 participium *inunitus* scribunt 'immo vero inunita ratio numinis — esset', sed hic quoque illud coniectura nititur; nam in F *munita* legitur. quis praestat *inunita* hic fuisse? fieri potest, ut librarius voci *unita*, quae rarior erat, notiorem *munita* substituerit. ceterum cf. met. 2, 6 verum enim *vero* (*puero* F).

ibid. 8, 16: *tunc ego metu praedicti periculi quantum pote turbae medius et inter conferta iumenta latenter absconditus clunibus meis <ab> adgressionibus ferinis consulebam.*

*Pote* scribunt editores ex Oudendorpii coniectura pro *potui* F, ubi tamen *ui* recenti manu est exaratum, et pro *poteram* φ, ubi *ram* manu recenti additum dicitur, sed scribunt falso. nam Apuleius dixit ille quidem bis *quam pote* (met. 1, 11 aufugiamus istinc quam pote [*puta* F falso] longissime; 2, 11 accubueram quam pote tutus), sed numquam *quantum pote* usurpavit; cf. met. 3, 12 quantumque poteram, laetiorem me refingens — appello; 3, 28 productos e stabulo quantum potest (poterant δ) gravioribus sarcinis onerant; 4, 24 praecipiunt adsidens eam blando quantum posset solaretur adloquio; 5, 25 humi prostrata et quantum visu poterat, volatus mariti prosequens; 6, 8 statimque, quantum maxime potuit, exclamat; apol. 51 agnoscis — rationem Platonis quantum potui pro tempore perspicue explicatam; 65 audi igitur —, sed animo quantum potes erecto et attento; flor. 25, p. 194, 1 fabulam in pauca cogamus, quantum fieri potest cohibiliter. itaque l. l. aut *potui* aut *poteram* desideratur. quoniam in F ante rasuram *pote* fuisse videtur — nam hoc servatum est in φ et manu demum recentiore in *poteram* auctum —, Apuleium hoc ipsum *poteram* dedisse existimaverim. et erat ei usitatius hoc imperfectum quam illud perfectum in talibus sententiis. cf. praeter locos, quos supra adtulimus, etiam hos: met. 2, 27 quamque sanctissime poterat adiurans — abnuebat; 3, 25 quod solum poteram, — tacitus expostulabam; 3, 27 quantum — pedibus adniti poteram, insurgo valide et cervice prolixa —, quanto maxime nisu poteram, corollas adpetebam; 4, 18 iubeo singulos — asportare, quantum quisque poterat auri; 4, 20 et in quo solo poteram celatum auxilium bono ferre commilitoni, sic — dehortabar.

Deinde *pote* cum *ut* reperitur apud Apuleium iunctum. sed hoc *utpote* participio additur vel nomini alicui, nusquam cum *qui* aut *cum* conectitur, ut verbo fin. adiciatur; cf. met. 1, 7 et utpote ultime adfectus, ad quandam cauponam Meroen — devorto; 2, 5 et utpote pignori meo longe provisum cupio; 2, 19 et utpote apud primatem feminam flos ipse civitatis; 2, 27 rituque patrio utpote unus de optimatibus pompa funeris publici ductabatur per forum; 2, 30 hic utpote vivus quidem sed tamen sopore mortuus — exurgit; 2, 32 meque statim utpote pugna trium latronum — fatigatum lecto tradidi; 5, 18 Psyche misella, utpote simplex et animi tenella, rapitur; 5, 25 et utpote adulescentem delicatum — blandis obsequiis promerere; 6, 31 et utpote in coetu turbulento variae fuere sententiae; 8, 23 ab emptione mea utpote ferocissimi deterruit animos; 10, 28 concitato tumultu, utpote tam immania detectura flagitia efficit; apol. 53 ipse aperiret

utpote promus librorum; 73 sed utpote peregrinationis cupiens impedimentum — recusaveram; flor. 18, p. 182, 9 Euathlus, utpote tanti veteratoris perfectissimus discipulus, biceps illud argumentum retorsit; Socr. 19 enim Socrates, utpote vir adprime perfectus, ex sese ad omnia — promptus. quem Apulei usum si Vliet cognitum habuisset, dubito an editurus fuerit cum Luetjohanno met. 9, 26 'at ille utpote <qui> intercepta cena profugerat prorsus ieiunus, mensam comiter postulabat'. aliter locus est conformandus; illa enim *utpote intercepta — profugerat prorsus ieiunus* pro parenthesi sunt habenda et verba sic distinguenda 'at ille (utpote intercepta cena profugerat prorsus ieiunus) mensam comiter postulabat'. quod si feceris, ut compluries alibi, ita hic quoque *utpote* cum participio habebis coniunctum. in sententia 'profugerat prorsus ieiunus' facile *nam* vel *enim* subauditur. postremo illud dignum est quod attendatur, saepe in metamorphosibus reperiri *utpote* apud Apuleium, bis modo in apologia, semel in floridis, semel in libris philosophis.

Pro *utpote qui* et *utpote cum*, quod abest ab usu Apuleiano, legitur apud hunc scriptorem *ut qui, quippe qui, quippe cum, quippe quod.* sed non est par et idem usus harum particularum in libris eius. namque in metamorphosibus occurrunt tantummodo *quippe qui, quippe cum, quippe quod*, deest *ut qui*: 1, 24 quippe qui iam — prospexeramus; — 2, 22 quippe cum — latenter adrepant; 5, 7 quippe cum iam possitis — amplecti; 6, 27 quippe cum nullus adforet; 7, 2 quippe cum — idem profugisset; 7, 8 quippe cum — genae splendicarent; 7, 14 quippe cum viderem; 8, 20 quippe cum — sentiam; 9, 18 quippe cum remeare posset; 9, 32 quippe cum meus dominus degeret; 9, 37 quippe cum — interisset; 10, 21 quippe cum — viderer; 11, 18 quippe cum — curassent; 11, 21 quippe cum — festinare deberem; ib. quippe cum — numen deae soleat elicere; — 4, 9 quippe quod — tamen quisque magis suae saluti quam domini consulat opibus. in apologia usus scriptoris ita invertitur, ut adhibeatur *ut qui, quippe qui*, vitetur prorsus *quippe cum, quippe quod*: 41 ut qui hoc negotium ex lectione — Aristoteli nactus sum; 48 ut qui scires; 70 ut quae te lenem sciret; — 3 quippe qui sciens innocentem criminatur; 5 quippe qui nihil umquam cogitavi; ib. quippe qui nihil umquam captavi; 17 quippe qui — una porta egerit; ib. quippe qui scirem; 20 quippe qui (*quippe quia* falso Casaubonus, Krueger) inopia desiderio, opulentia fastidio cernuntur; 26 quippe qui inter prima regalia docetur; 29 quippe qui nulli fuerunt; 53 quippe qui (*qui* omiserunt Jahn et Krueger falso) sollertissimi et acerrimi philosophorum

ne iis quidem confidendum esse aiunt, quae videmus; 97 quippe qui ei — adscribi iusserit.

Eadem in floridis scribendi deprehenditur ratio; cf. 5, p. 150, 9 ut qui sciatis non locum auctoritatem orationi derogare; 19, p. 185, 6 ut qui diligentissime animadverteret venarum pulsus inconditos; — 18, p. 182, 6 quippe qui hanc causam primam — viceris; 24, p. 191, 16 quippe qui structor orationis egomet non e meo monte lapidem directim caesum adferam; 24, p. 193, 6 quippe cui iam pridem corpus tam concinnum est.

Venimus ad opuscula philosopha. ibi usurpatur *ut qui*, deest tamen *quippe qui*, in cuius locum succedit *quippe cum*, quod iam in metamorphosibus scriptori erat in usu: Plat. 2, 21 ut qui vigore mentis ad omnia perpetienda sit paratus; 2, 22 ut qui in se reponit omnia; mund. 33 ut qui sit altitudinis finis; — 2, 21 quippe cum thesauris omnibus pretiosiores solus videatur possidere virtutum opes; 2, 23 quippe cum summus deorum cuncta haec — consideret; mund. 3 quippe cum finitimis aetheris adtingatur ardoribus.

Ex hac locorum collectione animadvertere licet *quippe quia* prorsus abesse ab usu scriptoris. quod parum curavit Casaubonus, cum apol. 20 scripsit 'quippe qui<a> inopia desiderio, opulentia fastidio cernuntur', aut ille qui Socr. 8 scribi posse putavit 'quippe qui<a> [aves] nulla earum — sublimatur'. hoc posteriore loco *qui aves* prorsus delendum, utpote repetitum ex eo quod praecedit *qui avis*. vidit hoc iam Mercerus, quem recte secutus est Goldbacher.

ibid. 8, 19: *quid miseros homines et laboriosos viatores tam crudelibus animis invaditis atque obteritis? quas praedas inhiatis? quae damna vindicatis?*

*Inhiatis* pro *munitis* F scripsit Eyssenhardt, quem non debebat sequi Vliet. nam etsi aptum est hoc verbum sententiae, tamen respuendum h. l. videtur, quod Apuleius alibi *inhiare* non cum accusativo construit, sed cum dativo. cf. met. 3, 9 his inhians; 7, 21 et humi prostratis illis inhians illicitas voluptates — temptat; 10, 28 inhiansque toto filiae patrimonio imminebat et capiti; apol. 73 matrem suam, cui plurimi inhient. deinde haud ita facile *inhiatis* in *munitis*, quod traditum est, transiturum fuit. magis aliquanto de *cupitis* cogitare possis, praesertim si id spectes, quod villae incolae viatoribus respondent paulo infra; 'non vestrorum' aiunt 'spoliorum cupidine latrocinamur'. cf. etiam met. 3, 6 ulla praeda monstretur, cuius cupidine tantum flagitium credatur admissum. sed nescio an Rohdio assentiendum sit

F memoriam retinenti. nam verba *quas praedas munitis* possumus explicare sensu 'quas praedas, nobis infestandis, vobis adseritis' = 'quibus praedis, nobis oppressis, vos potituros esse creditis'. etiam illud respiciendum videtur delectari Apuleium illo verbo *muniendi;* cf. met. 1, 12 grabattuli sollertia munitus; 2, 4 canes — deae latera muniunt; 4, 9 parva sed satis munita domuncula contentus; 4, 8 homines fortunam parvam — protegunt acrius et sanguinis sui periculo muniunt; 4, 19 destrictis — gladiis armati muniunt aditus; 5, 2 nullo vinculo — nullo custode — thesaurus ille muniebatur; 6, 14 iamque et ipsae semet muniebant vocales aquae; 9, 40 nec ille — vel repugnare vel omnino munire se potuit; 10, 31 at illam — duo pueri muniebant; 11, 14 velamento me naturali probe muniveram; 11, 19 cautoque circumspectu vitam — esse muniendam.

ibid. 8, 22: *inibi compertum facinus oppido memorabile narrare <en> incipio.*

*Compertum*, quod Vliet scripsit, Beroaldo debetur; sed ea non videtur sincera lectio esse. nam *ceptum*, quod in codicibus inest, magis ad *<ac>ceptum* spectat. id ut reponatur, etiam usus scriptoris monet; nam *accipere* sensu *audire, comperire* satis est apud eum frequens. cf. met. 1, 2 isto accepto — inquam; 1, 13 haec ego ut accepi; 1, 26 isto accepto pergit ipse; 4, 33 rex — affatu sanctae vaticinationis accepto pigens; 5, 2 nos quarum voces accipis; 5, 5 quarum si quas forte lamentationes acceperis; 8, 25 accepto tali sermone cogitabam — exilire; 9, 25 et primum — acceperat sonum sternutationis. praeter *acceptum* illo loco etiam *<per>-ceptum* probabiliter scripseris, quoniam etiam hoc verbum Apuleius sensu *audire, comperire* usurpat: met. 7, 7 simul namque primum sonum ianuae matrona percepit; 8, 6 quae quidem simul percepit tale nuntium, quale non audiet aliud.

Iam *en incipio* Vliet pro *cupio* novavit. sed nihil est cur a tradita hac scriptura discedamus. aliquatenus comparare licet 9, 4 'cognoscimus lepidam de adulterio <uxoris> cuiusdam pauperis fabulam, quam vos etiam cognoscatis volo'; 9, 14 fabulam denique bonam — ad aures vestras adferre decrevi et en occipio; 4, 27 'sed ego te narrationibus lepidis — avocabo' et incipit.

ibid. 8, 25: *sic praeco lurchonem tractabat dicacule, sed ille cognito cavillatu, similis indignanti 'at te' inquit '. . . . . . <delireque praeco>, cadaver surdum et mutum [delirumque praeconem] omnipotens et omniparens Dea Syria et sanctus Sabadius — caecum reddant.*

Sic Vliet locum constituit, sed eius emendatio nequaquam potest comprobari. nam praeterquam quod omnino audacior est, falsi convincitur illo *delirĕque.* Apuleius enim tantum non constanter -ĕque, -ĕve, -ĕne vitavit, quoniam praeter met. 11, 29 'quod felix itaque ac faustum salutareque tibi sit'*) et apol. 72 'fortene an fato ego advenio pergens Alexandream' nullum eius est tale exemplum. tradita scriptura 'at te' inquit 'cadaver surdum et mutum delirumque praeconem omnipotens et omniparens Dea Syria' facile tolerari potest nec est quidquam cur mutetur. nam quod ibi non est maledictorum, quae desideretur, gradatio, in eo minime est offendendum, quoniam verba simulantur hominis indignantis nec animo quieto ratiocinantis.

ibid. 8, 28: *quae res incutiebat mihi non parvam sollicitudinem —, nequo casu deae peregrinae stomachus, ut quorundam hominum lactem, sic illa sanguinem concupisceret asininum.*

Quod *illa* ab editoribus retinetur, magnopere miror. nam non solum propter *quorundam hominum*, sed etiam propter *deae peregrinae* sententia indiget genetivo. eum iam Bursianus restituebat proponendo *illae.* sed ea minime est forma Apuleiana; reddendum scriptori est procul dubio *illi<us>*.

ibid. 9, 2: *immo vero et plures alios ex familia abigere temptantes variis morsibus quemque lacerasse, certe venenatis morsibus contacta nonnulla iumenta efferari iam simili rabie.*

Pro *efferari iam* habet F *effera tria.* inde ego solum *efferari* effecerim, ut iam in *g* scriptum est. nam *efferari* primum in *efferaria* videtur extentum propter antecedens 'iumenta', inde vero in *effera tria* facile expletum. *iam*, quod h. l. scribitur, non est necessarium.

ibid. 9, 7: *ast illa capite in dolium demisso maritum suum astu meretricio tractabat ludicre.*

In forma *ast* haereo; nam innumeris locis aliis Apuleius *at* scripsit, nusquam *ast.* fortasse ad sequens *astu* aberrando librarius *ast* pro *at* exaravit. ceterum iam in φ restitutum est *at*, quod ex Apulei usu desideratur.

ibid. 9, 10: *haec et alias similis afannas frustra adblaterantis eos retrorsus abducunt pagani statimque vinctos in Tullianum compingunt.*

*) Hic tamen locus non multum valet, quoniam sententia formula trita est; cf. hist. Aug. v. Tac. 18, 2 quod bonum, faustum, felix salutareque sit rei p. orbique Romano.

Verbum *adblaterandi* aliunde non est notum mirumque, quod h. l. scribitur. nam primum *ablaterantis* habetur in F φ, deinde non desideratur hic necessario compositum verbum, sed simplex *blaterantis* aeque sententiae satis facit. sacerdotes enim Matris deum dicuntur, cum illa, quae praecedunt, et similia loquerentur defendendi sui gratia, a paganis reducti esse. error in codicibus inde natus est, quod scriba finalem litteram vocis *frustra* bis exaravit. idem vitii genus commisit 11, 6 rerum [m]earum; 10, 29 mortem mihimet[u] uolens consciscere; apol. 22 mendicabula [a]nimis sordent. simplex verbum *blaterandi* extat apud Apuleium: met. 4, 24 his et similibus blateratis; 8, 26 haec et huius modi mutuo blaterantes praesepio me proximum deligant; 10, 9 perspiciens malum istum verberonem blaterantem; apol. 3 ab his futiliter blaterata; 34 etiam honesta dictu sordide blaterat; flor. 9, p. 155, 6 quis incondita et vitiosa verba temere — permiserit blaterare. cf. et met. 2, 11 his et talibus obgannitis sermonibus inter nos discessum.

Dolendum est, quod Thesauri linguae latinae conditores verbum *adblaterandi* in vocabulorum seriem receperunt.

ibid. 9, 11: *perpeti etiam nocte prorsus instabili machinarum vertigine lucubrabant pervigilem farinam. sed mihi, <n e> erudimentum servitii perhorrescerem scilicet, novus dominus loca lautia prolixe praebuit.*

Vliet Petschenigio obsecutus <*ne*> *erudimentum* in editione sua exhibuit pro eo, quod antea scribebatur, <*n*>*e rudimentum*. mihi vulgata lectio praeferenda huic novae videtur, quia *erudimentum* ignorat alibi Apuleius, frequenter vero usurpat vocem *rudimenti*, quae sententiae h. l. non minus est apta et conveniens. cf. met. 5, 12 et sarcinae nesciae rudimento miratur; 6, 6 ante thalami rudimentum — obtulerat; 7, 14 post noctem unicam et rudimenta Veneris; 8, 3 furatrinae coniugalis incommodaret rudimentum; apol. 28 scelestis accusationis huius rudimentis; 66 primum hoc rudimentum forensis operae subibant; 92 affert — floris rudimentum; flor. 3, p. 147, 18 in omnibus ferme ante est spei rudimentum quam rei experimentum; 15, p. 167, 22 hoc erat primum sapientiae rudimentum; 24, p. 190, 2 accipite rudimentum post experimentum.

ibid. 9, 14: *fabulam denique bonam et prae ceteris suavem compertu ad aures vestras adferre decrevi et en occipio.*

*Compertu* Vliet e sua coniectura scripsit pro *comptam* F. ego scholium subesse existimo pertinens ad *suavem* et de-

lendum esse. tali additamento paulo supra verba aucta sunt c. 13 'follicantes nares [languidas] adsiduo pulsu tussedinis hiulci'. cf. et met. 4, 27 visa sum mihi de domo de thalamo [de cubiculo] de toro denique ipso violenter extracta; 6, 28 equestri celeritate [quadripedi cursu] solum replaudens; 10, 20 brevibus admodum — pulvillis [nimis modicis]; 11, 10 gerebat altaria [id est auxilia]. sed et aliis locis F scholia in verba scriptoris penetrarunt.

ibid. 9, 15: *sed anus quaedam stuprum sequestra et adulterorum internuntia de die cotidie inseparabilis aderat.*

Aequabilitatis causa Apuleium non *stuprum*, sed *stuprorum* (cf. mox *adulterorum*) scripsisse iudico. tale mendum apol. 35 iam dudum sublatum, ubi vulgo scribunt 'praeterea cancrorum furcas, echin<or>um caliculos'. cf. met. 2, 14 quodcumque vel ignotorum miseratione vel amicorum benivolentia contraximus; Socr. 6 malorum improbator, bonorum probator; flor. 17, p. 177, 14 ut est taurorum gravis mugitus, luporum acutus ululatus, elephantorum tristis barritus, equorum hilaris hinnitus. accedit quod non longe patet formarum illarum breviorum usus apud Apuleium. saepius leguntur genetivi *deum (divum)*, *nummum*, *denarium*, *aureum*; cf. met. 3, 3 providentia deum; 3, 7 deum providentiae; 5, 31 quis — deum; 6, 22 concessu deum; 7, 25 fidem hominum deumque; 7, 27 pro deum fidem; 8, 18 deum fidem; 8, 27 deum praesentia; 8, 31 deum providentia; 9, 9 Matris deum; 9, 10 deum Mater; 9, 20 fidem deum; 9, 42 deum numen; 11, 5 deum Matrem; 11, 10 potentissimorum deum; 11, 23 deum veniam; 11, 27 deumque summi parentis; 11, 27 deum voluntatem; 11, 29 imperiis deum; 11, 30 deum providentia; 11, 30 deum magnorum; apol. 4 munera deum; 41 omnium deum; 56 mysteriis deum; 70 deum voluntate; flor. 10, p. 160, 17 deum potestates; Socr. 7 deum caelestium; Plat. 1, 2 divum potestatibus; 2, 7 deum honori — mancipata est; mund. 27 exsuperantissimus divum; — met. 1, 13 centum denarium; 1, 24 viginti denarium; 2, 23 mille — nummum; 6, 23 in poenam decem milium nummum; 7, 4 mille aureum; 8, 25 septemdecim denarium; apol. 42 quingentos denarium; 59 tribus milibus nummum (sic recte Casaubonus, *nummis* F, Vliet); 75 sestertium triginta milia; 88 quinquaginta milia nummum (bis); 92 trecenta milia nummum; 92 quadringentis milibus nummum; 101 sexaginta milibus nummum. — rariores sunt formae *superum*, *inferum*, *liberum*, *pastophorum*: met. 4, 32 irae superum; 5, 28 liberum ca-

ritatis; 11, 5 inferum — silentia; 11, 11 horrendus ille superum commeator et inferum; 11, 17 coetu pastophorum; 11, 21 inferum claustra; 11, 30 in collegium me pastophorum suorum — adlegit; apol. 64 deus iste superum et inferum commeator. in his formam breviorem longiori praetulisse Apuleius videtur, ut insuavem illum finem *-rorum* effugeret.

Aliorum nominum formae breviores non ita certae sunt. de met. 9, 15 supra diximus. met. 4, 19 'quidam servulum, strepitu — inquietus, proserpit' mihi *servulum* de mendo suspectum est; nam nominativus *servulus* magis erat ex usu scriptoris. cf. 3, 12 ecce quidam intro currens famulus; 8, 22 servus quidam — flagrabat cupidine; 9, 35 accurrit quidam servulus — clades adnuntians; 9, 1 me cuidam famulo curiose traditum; 9, 2 nam quidam subito puer — percitus; 9, 10 quidam pistor — praestinavit; 9, 16 quidam denique praesens scurrula 'date' inquit; 8, 31 nam quidam colonus partem venationis — miserat; 10, 1 statimque me commendato cuidam servulo. deinde si nominativum non posuisset scriptor, vix genetivum partitivum, sed magis *de* c. abl. adhibuisset, velut dicit met. 9, 37 sed et quidam de servulis, 4, 27 quidam de latronibus — permotus; 5, 27 aliquem de meis adoptaturam vernulis; 10, 9 iussi de meis aliquem — taberna promptum adferre. fortasse l. l. *servulum* eo modo ortum erat, ut primum 'servulus strepitu' haplographia *s* in 'servulu strepitu' abiret, deinde in 'servulum strepitu' corrigeretur.

Socr. 7 edunt vulgo: 'postremo cuncta ariolum praesagia, Tuscorum piacula, fulguratorum bidentalia, carmina Sibyllarum', sed ut ap. 35 et met. 9, 15, ita h. l. propter aequabilitatem longior forma restituenda erit; legendum: 'ariol<or>um praesagia', ut iam in M scriptum invenitur.

His perpensis iam facile intelleges, quid de lectione Sciopii met. 1, 18 'ne — inmerito medicum filii (medici fidi F) cibo et crapula distentos saeva et gravia somniare autumant' iudicandum videatur. desideratur enim saltem *medic<orum> filii*, sed hoc longius distat a F memoria. ceterum non video, cur in hoc simplici sermone non dicatur simpliciter *medici*, cur dicatur sollemni quodam modo *medicorum filii* (= τῶν ἰατρῶν παῖδες, ut est semel apud Lucianum de conscr. hist.). certe hac ambage non utitur Apuleius alibi, cum de medicis loquitur; cf. met. 10, 2 heu medicorum ignarae mentes; 10, 26 non prius, inquit, medicorum optime; apol. 40 veteres quidem medici etiam carmina remedia vulnerum norant; 44 medicis saepe numero ostensum; 51 nec ullum ex medicis aut poetis volui attingere; 69 medici cum obstetricibus consentiebant; flor. 19, p. 185, 3 inter prae-

cipuos medicorum; 19, p. 185, 24 partim medico credendum dicere; 23, p. 189, 15 sed et medici cum intraverint ad aegrum; Plat. 2, 18 ut optimi medici conclamatis — corporibus non adhibent medentes manus. sic etiam l. l. scriptum fuisse puto et *medici fidi*, quod F habet, ex dittographia *medici medi* extitisse dixerim.

ibid. 9, 16: *vel ob unicum istud, quod nunc nuper in quendam zelotypum maritum* *e x i m i a* *a s t u t i a* *commentus est.*

*Eximia astutia*, quod Vliet pro *eximio studio* F φ scripsit, non est certa scriptura. nam cum singulae voces in F quoque auctae deprehendantur, cogitare possis etiam de scriptura 'e x i m i o a s t u [d i o].' ablativo *astu* quidem saepius utitur Apuleius, velut met. 1, 12 at ego scilicet Ulixi astu deserta; 3, 10 ille quorundam astu paulisper cohibitus risus; 4, 12 c a l l i d o deceptus a s t u; 5, 17 hoc astu puellam appellant; 7, 6 hunc insimulatum quorundam astu proicit extorrem; 8, 2 puella fuerat astu virtutibusque sponsi sui liberata; 8, 9 a s t u q u e m i r o personata — inquit; 8, 14 quoque astu Thrasyllum inductum — petisset; 9, 7 maritum suum astu meretricio tractabat ludicre; 9, 8 astu captioso conraserant — pecunias; flor. 25, p. 193, 5 raptorem — laudare astu adorta est; ib. p. 193, 23 quod cursu amiserat, astu recuperavit.

ibid. 9, 20 *iam clamat, iam saxo fores verberat et ipsa tarditate magis magisque* *s u s p e c t u s* *dira comminatur Myrmeci supplicia.*

*Suspectus* si verum esset, vi activa sensu *suspicax* vel *suspectans* esset intellegendum. sed alibi Apuleius notione passiva participium illud, ut alii, adhibet. itaque fortasse *suspecto* scribendum erit et cum *Myrmeci* coniungendum.

ibid. 9, 30: *atque ut illis saepicule et* *i n t e r v o c a l i t e r* *clamantibus nullus respondit dominus, iam forem pulsare validius.*

*Intervocaliter* certe corruptum est nec debuit a Vlietio retineri. desideratur *vocaliter*, ut est met. 1, 22 et ianuam firmiter oppessulatam pulsare v o c a l i t e r incipio. parum probabilis Wölfflini est coniectura scribentis *vocaliter interclamantibus*. nam ut nihil dicam de illo *-iter inter-* concursu nequaquam grato, nusquam extat *interclamare* apud Apuleium, et simplex verbum *clamandi* tuentur loci met. 9, 20 suae domus ianuam iam pulsat, iam clamat, iam saxo fores verberat; 1, 17 ianitor introrumpit exerte clamitans; 4, 9 atque inde contentissima voce clamitans — diffamat; 6, 14 'peribis' subinde clamant; 7, 3 verbum — semel ac saepius

inmodice clamitari; flor. 9, p. 155, 18 aut plerumque contentissime clamitat. mihi sub illo *intervocaliter* solum *vocaliter* delitescere videtur. puto enim illud ex '*iter* voca*liter*' ortum esse et dittographum *iter* delendum.

ibid. 9, 33: *una de c r i s t a t a cohorte gallina per mediam cursitans aream clangore genuino — personabat.*

*Cristata* Vliet scripsit pro *cetera* F, Cornelissenum ducem secutus. ego vero, quamquam 2, 26 'cantus perstrepebat c r i s t a t a e c o h o r t i s' ei favere videtur coniecturae, tamen eam reiciendam existimo. nam neque *cristata* facili negotio in *cetera* transiturum fuit in codicibus et *cetera* tolerari posse puto. nam *una gallina de cetera cohorte* idem valet quod *una de ceteris gallinis,* quocum comparari potest 3, 10 'nihil secus quam u n a d e c e t e r i s t h e a t r i s t a t u i s v e l c o l u m n i s'. cf. et 11, 30 ac ne sacris suis g r e g i c e t e r o permixtus deservirem.

ibid. 9, 39: '*sed mihi*', *inquit*, '*o p e r a e eius opus est*'.

Genetivus *operae* mihi valde est de vitio suspectus. nam alibi *opus est* cum ablativo iungit Apuleius, velut apol. 21 cui quam minimis opus sit; 27 nihil opus magia fuisse; 45 quid opus carmine fuit; 91 nihil verbis opus est; flor. 15, p. 168, 8 et cum dicto opus est, impigre dicere, et cum tacito opus est, libenter tacere; 20, p. 187, 20 quibus curriculo confecta via opus est; Plat. 2, 23 et eorum quae extrinsecus veniunt praesidiis opus est; mund. 26 quod erat scitu opus; 27 nec multis opus est nec artitis hominum conversa ratione. in genetivo l. l. eo magis est cur haereas, quod genetivus possessivus *eius* sequitur. videtur scribendum 'o p e r a [e] eius opus est'. vitium duplicata *e* littera vocis *eius* nasci facile potuit. cf. quae supra diximus ad 8, 14 et 9, 10.

ibid. 9, 40: *currit ad extrema subsidia simulansque e r e ad commovendam miserationem genua eius velle contingere, summissus atque incurvatus adreptis eius utrisque pedibus sublimem elatum terrae graviter adplodit.*

*Simulansque e re* pro *simulans querere* F scribunt vulgo cum Stewechio editores, in iis etiam novissimus editor Batavus Vliet. sed ea lectio non videtur mihi genuina esse. nam plenius traditae memoriae satisfeceris, si scripseris cum Kronenbergio 'simulansque s e s e — genua eius velle contingere'. atque ita legere eo magis licebit, quod etiam alibi in F exaratum *r* pro *s*, velut met. 1, 12 impune se laturum (relaturum F); — 2, 27 atratus (adhsatus F); 2, 27 severiter (reveriter F φ); 4, 26 in-

festis (infertis F); 4, 31 severiter (reverenter F); 6, 1 discretim semota (remota F); 6, 4 quae sola (quęrula F); 7, 17 fascium (farcium F); 9, 2 vesaniae (bęranię F); 11, 30 <de>raso (sic ego lego; 'raro' F); apol. 17 servosne (seruorne F); 40 adeo summe (adeorum me F); 45 refragaretur (se fragaretur F); 54 utrum tu (ut sumtu F). cum ea quam commendo lectione 'simulansque sese — velle contingere' conferre potes 9, 40 simulat sese mortuum; ibid. comminabatur — sese concisurum eum; 1, 10 deierantes sese neque ei manus admolituros; 6, 17 ad — exitium sese compelli manifeste comperit; 9, 33 promittit ei de praemiis suis sese daturum; 9, 36 suspendium sese et totis illis et ipsis legibus mandare proclamans; 9, 41 mentiuntur sese — vasculum — perdidisse; 10, 31 pollicetur — ei sese regnum — tributurum. illud *sese* etiam eo commendatur, quod in acc. c. inf. Apuleius praeter unum locum, qui est met. 9, 41 'ac diebus plusculis nec vidisse quidem illum hortulanum contendit', *se* subiecti vice fungens non omittit in metamorphosibus; cf. praeter locos, quos modo adtuli, 1, 12 inpune se laturum meas contumelias putat; 5, 5 se facturum spopondit; ibid. se nunc maxime prorsus perisse iterans; 5, 6 dum se morituram comminatur; ibid. cuncta se facturum spopondit; 5, 10 sciet se non ancillas — habere; 5, 13 lacrimasque ei — detergens <omnia se> (sic Vliet optime scripsit) facturum spopondit; 6, 1 nullius dei fana — neglegere se debere; 6, 15 commenta se ob iussum Veneris petere eique se praeministrare; 6, 17 rebatur — se posse descendere; 7, 25 deierans nullum semet vidisse ductorem; 7, 27 et impune se laturum tantum scelus credit; 8, 21 conspicatum se quippe — draconem; 9, 21 certus — posse se facile indipisci; 9, 36 adseverat parvi se pendere — praesentiam; 9, 39 respondit — se — scire non posse; ibid. respondit — petere se civitatem; 10, 15 deierant — nullam se — fraudem — factitasse; 10, 18 summe se delectari profitebatur; 10, 27 praemium — se reddituram constituit; 10, 32 polliceri videbatur — daturam se nuptam Paridi forma praecipuam. aliter vero in ceteris Apulei opusculis res se habet. ibi iam plura exempla extant huius *se* omissi; cf. apol. 2 pollicitus ita facturum; 17 scriptum reliquit — tris servos solos ex urbe duxisse; 46 ait pueros alios producturum; 55 ut olim Ulixi socii thesaurum repperisse arbitrati sunt; 75 negat posse dissolvere; flor. 7, p. 153, 9 haud secus in eam — vindicaturum; 14, p. 163, 19 neque formosiorem — posse invenire; 16, p. 170, 4 reliquum tamen — deincipiti die perlecturum; Socr. 20 qui vero vocem <quampiam> dicat audisse. quin etiam *te* et *me* in iisdem libris non numquam suppressum invenitur: cf. apol. 52 quae fatearis nescire;

flor. 9, p. 158, 3 non eo infitias — nec id genus ferramenta uti nosse.

Postremo pro *e re*, quod scripsit Stewech, potius *e re nata* ex Apulei usu fuit; cf. met. 4, 3 e re nata capto consilio fugam desino; 4, 11 remedium e re nata validum eo volente comminiscimur; 4, 14 tunc e re nata suptile consilium — comminiscimur; 5, 8 sed e re nata confingit esse iuvenem quendam; 9, 21 suspectisque e re nata quae gesta sunt — rapidum dirigit gressum. solum *e re* legitur 5, 27 'invidiae noxiae stimulis agitata, e re concinnato mendacio fallens maritum', sed hoc loco *e re* scribitur e coniectura pro *fre* F. si id tamen verum est, Apuleium a consuetudine sua descivisse censere possumus ideo, quod displicuerit ei 'e re nata concinnato'. deinde legitur *e re* 9, 6 'e re nata fallacia mulier — inquit'; nam *nata* cum *fallacia* coniungendum est. hic sane apertior etiam nudi *re* est causa. manet tamen scrupulus, omissumne sit participium ante *fallacia*, ita ut legatur: 'e re nata <commenta> fallacia . . .' quod 4, 4 Petschenig scripsit 'statim <e> re (se F) mentita lassitudine cum rebus totis offudit (offudit̄ F)', recte eam lectionem Vliet sprevit. nam mutato *offudit̄* F in *offudit* apta prorsus efficitur scriptura: 'statim se mentita lassitudine — offudit'. cf. 8, 6 totam se super corpus effudit; 5, 2 haec ei — visenti offert sese vox quaedam corporis sui nuda. *ur* saepius formis activis in codicibus falso adnectitur a librariis; sescenties id factum est in Vindobonensi quintae decadis Livianae. dittographia sequentis litterae natum videtur tale vitium met. 10, 15, ubi forma activa utique est restituenda: 'deierant[ur] utrique'. nam verbo *deierandi* nusquam Apuleius utitur tamquam deponenti: met. 1, 5 sed tibi prius deierabo; 6, 15 quodque vos deieratis per numina deorum; cf. etiam 3, 14 adiuro enim tuum — caput; 3, 23 adiuro per dulcem — nodulum; 10, 8 inductos servuli mendacio peierare; Socr. 5 quod adiures.

ibid. 10, 6: *plebem — inflammaverat, ut — cuncti conclamarint lapidibus obrutum publicum malum publice vindicari <oportere>.*

Vliet in tradita memoria parum acquiescens *oportere* addendum censuit. sed ea falsa est scriptura. nam *obrutum publicum malum — vindicari* sensu dictum est *ut obrutum publicum malum — vindicaretur*, ut saepe Apuleius acc. c. inf. pro *ut* cum coniunctivo Graecorum prorsus more posuit. cf. met. 6, 31 variae fuere sententiae, ut primus vivam cremari censeret puellam, secundus bestiis obici suaderet, tertius patibulo suffigi iuberet, quartus tormentis excarnificari praeciperet; 7, 5 et illum — adscisci et

alios — vestigari statuunt; 9, 15 subiungi machinae novicium clamabat asinum; 10, 8 quin eum evidenter noxae compertum insui culleo pronuntiaret; 11, 9 et plerique qui facilem sacris viam dari praedicarent; 11, 14 praecipit tegendo mihi linteam dari laciniam; 11, 19 sacris suis me iam dudum destinatum nunc saltem censebat initiari; 5, 26 nuntiari praesentiam suam sorori desiderat; apol. 36 permittite quaedam legi de magicis meis; 44 quos exhiberi denuntiastis; 47 aut cur sisti postulabas tantam familiam. deinde quominus 'vindicari <oportere>' scribamus, etiam eo deterremur, quod Apuleius, ut nuper Alf. Kirchhoff (de Apulei clausularum compositione et arte quaestiones criticae p. 16—28) demonstravit, hiatum in clausulis declinabat, praesertim in metamorphosibus. itaque tradita scriptura necessario retinenda erit.

ibid. 10, 7: *haec — eximie enim ad veritatis imaginem <simulata> — verberone illo sine ulla tum trepidatione perferente finitum est iudicium.*

In his Vliet satis longe recessit a vulgata codicumque scriptura. *simulata* enim inseruit et illa 'eximie — simulata' pro parenthesi a ceteris seclusit; deinde *sine ulla tum* pro *simulatum* F dedit. sed pro *simulata* dicendum erat in hac parenthesi <*erant simulata*>. deinde servus ille etiam in rebus eximie ad veritatis imaginem fictis trepidare poterat; qua re non videtur sententia illa causalis particula *enim* instructa prorsus apta esse. postremo *tum* redundat. vide potius, ne *enim* dittographia ex illo '*exim*ie' extiterit et *simulatum* pro *sine ulla* falso exaratum sit, ita ut scribi oporteat: 'haec eximie [enim] ad veritatis imaginem verberone illo sine ulla trepidatione perferente finitum est iudicium'.

ibid. 10, 12: *surgentem postliminio mortis deprehendit filium eumque complexus artissime verbis impar <prae> praesenti gaudio producit ad populum.*

*Prae* Vliet primus inseruit. quod certe ille non fecisset, si quam non collocaret Apuleius praepositiones ante voces ab earum syllabis incipientes perspectum habuisset. fugiebat hic scriptor *prae prae-* concursum, quem ad modum oderat *ab ab-*, *ad ad-*, *cum cum-*, *de dē-*, *ex ex-*, *ob ob-*, *per per-*, neque ullo loco talem verborum compositionem sibi permisit.*) tantummodo *in in-* semel tulit, met. 3, 18 'in insani modum Aiacis

*) Cf. etiam quae dixi Stud. Liv. p. 5—10.

armatus', nisi forte ordo inversus est, ita ut legendum sit 'in modum insani Aiacis'; cf. 10, 30 et in modum Paridis Phrygii pastoris — pulchre indusiatus adulescens. nam met. 1, 11 'atque excussum humi recidens inversum coperit ac tegit' Eyssenhardt *in* ante *inversum* recte sustulisse videtur. ut *per per-* effugeret, dixit Apuleius apol. 31 'per famam pervulgatam' pro 'per pervulgatam famam'. apparet eundem scribere non potuisse, quod Goldbacher ei tribuit, Plat. 2, 1 'per perceptionem (per praeceptionem codd.) cetera bona fieri existimabat', sed magis 'perceptione cetera bona fieri' legendum esse. eadem de causa apol. 56 scripsit Apuleius 'de luco et delubro' non 'de delubro et luco', Socr. 16 'in rebus incertis' non 'in incertis rebus', Plat. 1, 1 ingeniumque — de exteriore (non 'ex exteriore') conspicatus est facie; mund. 2, 6 sane 'in immensam latitudinem' legendum, non 'in inmensam'; cf. met. 4, 29 sic immensum procedit; 10, 14 in immensum damni. *ad adventum Crassi* apol. 31 interpolationi deberi iam alii cognoverunt; ibidem 72 'meis <ab> Appiis' iam alia ex causa vitiosum esse supra ostendi. ut ad l. l. redeamus, integra ibi est memoria 'verbis impar praesenti gaudio'; nam ablativus solus causam, cur pater ille verbis impar fuerit, indicare recte potest. cf. met. 1, 15 recordabar — Meroen non misericordia iugulo meo pepercisse, sed saevitia cruci me reservasse; 3, 2 miro tamen omnes studio visendi pericula salutis neglegebant; apol. 6 non vidit profecto cupiditate laedendi; 97 quod — neque perfici passus est pudore perditae hereditatis.

ibid. 10, 19: *at ille nequaquam <curans, quam> posset de me suave provenire, lucro suo tantum intentus, adnuit.*

*Curans* iam Oudendorp supplevit, *quam* Vliet Mus. Rhen. 42, 314 proposuit et in sua editione scripsit. ego praetulerim 'nequaquam <curans, an> posset — provenire', dum comparo Luciani locum Asin. 618 κἀκεῖνος οὐδὲν φροντίσας, εἴτε ἀνύσει τι ἐκείνη ἐξ ἐμοῦ εἴτε καὶ μή, λαμβάνει τὸν μισθόν. cf. et met. 1, 22 et potius responde, an intra aedes erum tuum offenderim; 4, 6 et faxo vos quoque an mente etiam sensuque fuerim asinus sedulo sentiatis; 6, 1 unde autem — scio an istic meus degat dominus; 6, 13 periclitabor, an oppido forti animo — sis praedita; 9, 3 an iam sim mansuefactus periclitabor; apol. 48 frustra igitur, an factum sit, anquiritur; 59 interroga, an hic Iunium Crassum Oeensem viderint; flor. 24, p. 190, 8 experimini, an idem sim repentinus.

ibid. 10, 20: *ac desuper brevibus admodum, sed satis copiosis pulvillis* *i l l i s* *[nimis modicis], quis maxillas et cervices delicatae mulieres suffulcire consuerunt, superstruunt.*

*Nimis modicis* recte Vliet inclusit; nam hoc idem est atque illud quod praecedit *brevibus admodum*; *brevis* enim in posterioris aetatis latinitate saepe notione *parvus* usurpatur. at non solum *nimis modicis*, sed etiam *aliis*, quod F pro *illis* habet, Vliet expungere debuit. nam subesse videtur lectio geminata, quam aliquis in margine hoc modo adnotaverat 'alias „nimis modicis"'. lectiones duplices etiam alibi in Apulei codicibus nobis occurrunt; cf. met. 3, 20 'quam vellem' [inquit] respondit illa; 4, 27 visa sum mihi — de thalamo [de cubiculo] de toro denique ipso violenter extracta; 6, 28 equestri celeritate [quadrupedi cursu] solum replaudens; 7, 18 totum me compilabat [cidit] fusti; apol. 72 non ita pridem [ante multos annos] Athenis; 78 praeter opinionem [contra] suam esse [sententiam] depravatum.*)

Ni fallor, talis lectio gemina met. 1, 18 residet 'et ego *curiose sedulo* arbitrabar iugulum comitis'. nam *curiose* non multum ab illo *sedulo* differt nec asyndeton probabile est; alterutrum sententiae sufficit. fortasse legendum: 'et ego *curiose* [sedulo] arbitrabar'. item met. 2, 16 legerim 'et capillo fluente [undante]', ap. 27 'obiecta sunt vana et inepta [simplicia]'.

ibid. 10, 21: *multo sese perungit oleo balsamo meque indidem largissime perfricat, sed multo* *t a n t o* *i m p e n s i o r e* *c u r a* *e t i a m* *nares perfundit meas.*

*Multo tanto impensiore cura etiam* Vliet scripsit ex Oudendorpii coniectura; in F inest *multo tanta impensius cura etiam*. ex his mihi *impensius* integrum videtur. Apuleius utitur sane voce *impensus* pro adiectivo, sed tantummodo in gradu positivo, velut apol. 5 impenso labore; 35 pretio impenso — quaesisse; 73 impenso studio persuadet; 99 impensis precibus oravi; Socr. 3 studium tam impensum. at adhibet idem comparativum *impensius* tamquam adverbium, non tamquam adiectivum: apol. 7 impensius cetero corpore os colendum; 27 et impensius deos celebrant; flor. 17, p. 178, 6 eos ego impensius admirarer. positivi vice fungitur *impendio*: apol. 15 impendio procuraret; 61 tamen impendio colere. itaque *impensius* F servandum erit. quod si fecerimus, quid illis *cura etiam* fiet? haec integra retinenda sunt, opinor, sed una voce

*) Cf. met. 6, 3 contra spem suam; 9, 38 contra eius opinionem; 9, 37.

explenda. legendum enim arbitror: 'sed multo tanto impensius cura etiam <maiore> nares perfundit meas'.

ibid. 11, 13: *tunc ego trepidans, adsiduo pulsu micanti corde, coronam quae rosis amoenis intexta fulgurabat, avido ore susceptam cupidissime devoravi. nec me fefellit caeleste promissum.*

*Cupidissime* admodum incerta est lectio. nam in φ δ extat solis, cum F *cupidus promissi* habeat. apparet *cupidissime* pro *cupidus promissi* scripsisse aliquem, cui haec lectio non probabatur. et offendit cum per se hoc *cupidus promissi*, tum quod mox idem nomen repetitur. sincera, opinor, lectio habebitur, si deleto *promissi*, quod ex subsequentibus praesumptum est, legetur: 'avido ore susceptam cupidus devoravi.' cf. 1, 19 complicitus in genua adpronat se avidus adfectans poculum; 9, 9 Philebum ceterosque comites eius involant avidi.

ibid. 11, 18: *repentino laetati gaudio varie quisque munerabundi ad meum festinant ilico <in lucem> diurnam reducis ab inferis conspectum.*

Hoc loco satis temere Vliet egit. nam *in lucem diurnam reducis* scribere ausus est pro *diurnum reducemque*, nulla ille quidem necessitate coactus. sane audacius dicitur *diurnus reduxque conspectus meus* pro 'conspectus mei diurni (i. e. in terrae luce versantis) reducisque', sed haec audacia tribui potest huic scriptori, immo prodere videtur manum ipsius. haud secus enim ille dicit met. 11, 20 'deae venerabilem conspectum adprecamur' pro 'deae venerabilis conspectum adprecamur'. cf. et ibid. 8, 7 modo ne in Thrasylli manum sacrilegam convenias; 8, 18 et infestorum canum revocata conquievit procella; 8, 19 totus in baculum pronus et lassum trahens vestigium; 9, 11 instabili machinarum vertigine lucubrabant pervigilem farinam; 11, 22 a curiosa profanorum lectione munita. itaque in tradita scriptura erit permanendum.

Maiore etiam temeritate grassata est Vlietii licentia met. 7, 25, ubi verba tradita, quae me quidem nihil offendunt, sic refingere sustinuit: 'atque <si> [utinam] ipse asinus' inquit 'quem <utinam> numquam [profecto] vidissem, vocem quiret humanam dare meaeque testimonium innocentiae perhibere [posset], profecto vos huius iniuriae pigeret'. primum enim *atque utinam ipse* nihil habet offensionis, si quidem vir, qui haec dicit, prorsus apte illud exoptat, ut

asinus tum temporis humana voce instructus sit atque ita ipsum vera loqui testari possit. *si*, quod Vliet tradito *utinam* substituit, peius est utpote infirmius et languidius. *quem — vidissem* sane sensu optativi positum est, sed non indiget particula quam iniecit Vliet *utinam*. illud *numquam profecto* fortiter dictum et recurrit apol. 2 numquam profecto tam cunctanter hominem extraneum tot tantorumque criminum postulasset; 40 numquam profecto omisisset scripto prodere. quod infra *profecto* sequitur, ideo non est cur id verbum post *numquam* removeatur. talia interdum admisit Apuleius; cf. met. 8, 22 laqueum sibi nectit infantulumque — eodem funiculo nectit. denique *posset* teneri potest, quamquam post *quiret* redundare videtur. nam aequalitatis partium gratia addidit subinde Apuleius aliquid et non necessarium. ceterum cf. Plat. 2, 2 et quod non omnes id adipisci queunt neque primi boni adipiscendi facultatem possunt habere. cf. et met. 7, 27 incursare — potuisti, moriturum vero defendere — nequisti. — item met. 5, 14 tradita memoria 'Psyche non ita ut pridem parvula et ipsa iam mater es' ferri potest nec additamentis Vlietii indiget. magis mox 'quantum putas boni nobis in ista geri (geris F) perula' restitui debuit.

ibid. 11, 18: *oblationes honestas aequi bonique facio, quippe cum mihi familiares, quod ad cultum sumptumque largiter suppeteret, deferre prospicue curassent.*

Cum *succerderet* F[1] (*r* ante *d* erasa), *succederet* F[2] φ δ g habeant, *suppeteret*, quod Stewechio debetur, pro certo haberi non potest. nam etiam de *su<ffi>ceret* cogitare licet, si quidem ex truncato illo *suceret* facile librarius *succederet* efficere poterat. cf. 2, 24 et oleum ad lucem luci sufficiens; 6, 16 modicum de tua ei mittas formositate vel ad unam saltem dieculam sufficiens; 8, 14 certusque tanto facinori nec gladium sufficere; 11, 25 nec mihi vocis ubertas ad dicenda quae de tua maiestate sentio sufficit; apol. 85 nondum poenae, iam iniuriae sufficit; flor. 20, p. 187, 10 ergo sicut ad poenam sufficit meditari punienda.

Illud *suppeteret* eo minus est quod praeferatur, quod Apuleius nusquam eo verbo usus est adiuncta re, ad quam quid satis est. idem in *suppeditare* dici potest. cf. met. 3, 25 bene, quod facilior reformationis huius medela suppeditat; 7, 2 nam et praesidium fugae — eidem facile suppeditasse; ap. 61 proinde ut loculi suppetebant; flor. 18, p. 180, 6 utinam mihi pro amplitudine auditorii prolixa oratio suppeteret; 18, p. 180, 19 an non multa mihi apud vos hortamina

suppetunt, quod; 18, p. 181, 16 inde ei suppeditata doctrina est; Socr. 3 in quo — ne Platoni quidem meo quiverunt ulla verba pro amplitudine rei suppetere; 14 cuius generis mihi exempla adfatim suppetunt; Plat. 2, 23 cuius et bona suppetunt. saepius vero in hac re legitur apud eum, ut vides ex locis, quos supra collegimus, *sufficere*. itaque l. l. 'quod ad cultum sumptumque largiter *su<ffi>ceret*' pro vera agnoscendum erit lectione.

ibid. 11, 19: *adfatis itaque ex officio singulis narratisque meis pro<pere> et pristinis aerumnis et praesentibus gaudiis me rursum ad deae gratissimum mihi refero conspectum.*

*Propere*, quod Kronenberg invenit, satis est dubium. nam necessario non ponitur, quoniam nihil impedit, quominus lente et fusius Lucium suas fortunas narravisse existimemus. in 'pet', quod F pro illo *propere et* habet, *pro* e praesumptis primis litteris subsequentis '*pr*istinis' vel '*prae*sentibus' originem trahere potuit.

ibid. 11, 30: *rursus denique qua<qua> raso capillo collegii vetustissimi et sub illis Sullae temporibus conditi munia non obumbrato vel obtecto calvitio, sed quoquoversus obvio gaudens obibam.*

Vliet Oudendorpii recepta coniectura *quaqua raso* pro *qua raro* F scripsit, cum Eyssenhardt *abraso* edidisset. sed neutra scriptura probanda est. primum enim neque *raso* neque *abraso* ex usu scriptoris dicitur, sed *deraso*: met. 2, 28 et adusque <cutem> deraso capite; 5, 30 cum eius comas —. deraserit; 11, 10 hi capillum derasi funditus vertice praenitentes; 11, 28 insuper etiam deraso capite. deinde *quaqua* cum participio iunctum repugnat sermoni Apuleiano. nam Apuleius *quaqua*, si *quaquaversus* (met. 4, 6 et quaquaversus obsitae) exemeris, tantum cum verb. fin. coniungit seu tamquam relativum adhibet: 11, 4 quaqua tamen insignis illius pallae perfluebat ambitus; 11, 24 quaqua tamen viseres. idem etiam *quoquo* est apud eum usus: apol. 14 sed quoquo velis — promptam gestare; 52 quoquo te duxerit, sequeris; 63 quoquo eam, simulacrum — gestare. itaque *quaqua raso* nullo loco apte possis defendere. postremo *abraso* ex *qua raso* vix dicas oriri potuisse errore librarii. ego alia ratione locum emendari debere mihi persuadeo. *qua*, si me audis, delendum est tamquam dittographia ex ultima syllaba 'deni*que*' ortum et *raso*, quod inest in *raro* F, in *<de>raso* augendum. scriptura, quam sic nanciscimur, 'rur-

sus **d**enique **d**eraso capillo' etiam allitteratione, qua delectatur Apuleius, commendatur.

**apol.** 2: *igitur Pontianum fratris sui filium, quem paulo prius occisum a me clamitaret, postquam ad subscribendum compellitur, ilico oblitus est. de morte cognati adulescentis subito tacere † tanti criminis descriptione, † tamen <ne> omnino desistere videretur calumnia, magiam — sibi delegit ad accusandum.*

Verba *de morte cognati — descriptione* varie mutantur, sed tolerabilis inde lectio non elicitur. mihi omnino removenda videntur utpote e margine illata. nam illa *de morte cognati — subito tacere* quid aliud continent atque ea quae praecedunt *Pontianum fratris sui filium, quem paulo prius occisum a me clamitaret, ilico oblitus est?* per illa autem *tanti criminis descriptione* subsequens *calumnia* ab aliquo in margine explicatum videtur. certe et ea verba superflua sunt et salva sententia omittantur. cum his marginalibus adnotationibus in verba scriptoris delapsis cf. met. 3, 25 ac dum salutis inopia cuncta corporis mei considero, non avem me sed asinum video. [querens de facto Fotidis] sed iam humano gestu simul et voce privatus — umidis tamen oculis oblicum respiciens ad illam tacitus expostulabam.

ibid. 3: *patroni Aemiliani multa in me proprie conficta et alia communiter in philosophos sueta ab imperitis mercennaria loquacitate effutierunt.*

In illis *in philosophos sueta ab imperitis* offendo neque integra ea verba esse existimo. suspicio augetur, quod in rasura *sueta* in F est scriptum. requiritur saltem 'et alia communiter in philosophos <dici> sueta ab imperitis'. cf. apol. 28 nihil in philosophos non modo vere dici, sed ne falso quidem posse confingi; ibid. 4 ab ipsis tribui sueta; met. 7, 25 quippe consuetus ex forma concidi fustibus; 9, 23 alveo ligneo, quo frumenta confusa purgari consuerant; 9, 36 de insolentia locupletium consuerint vindicari; flor. 9, p. 154, 27 qui contemni non consuevit.

ibid. 4: *haec ego de forma respondissem, praeterea: licere etiam philosophis esse voltu liberali: Pythagoram, qui primum se esse philosophum nuncuparit, eum sui saeculi excellentissima forma fuisse.*

Mihi *esse*, quod est ante *philosophum*, non videtur genuinum. nam *nuncupare* sensu *appellare* vel *nominare* non

iungit Apuleius cum inf.; cf. met. 2, 13 quove nomine nuncupatus hic iste Chaldaeus est; 4, 26 etiam maritus nuncupatus; 4, 30 hoc enim nomine puella nuncupabatur; 4, 34 cum novam me Venerem ore consono nuncuparent; 7, 14 me suum sospitatorem nuncupatum; 10, 18 hoc enim nomine meus nuncupabatur dominus; 11, 20 servum isto nomine nuncupatum; 11, 24 hanc Olympiacam stolam sacrati nuncupant; apol. 50 eum nostri — divinum morbum — nuncuparunt; 61 et Graeco vocabulo βασιλέα nuncupare; 64 ille — a Platone βασιλεὺς nuncupatus; Socr. 2 stellas, quae vulgo vagae ab imperitis nuncupantur; 6 hos Graeci nomine δαίμονας nuncupant; 15 animal — daemon nuncupatur; ib. nomine Manem deum nuncupant; 24 quam poetico ritu Minervam nuncupavit; Plat. 1, 11 sic enim πεζὸν et χερσαῖον censui nuncupanda; 1, 12 quos Genios et Lares possumus nuncupare; 1, 18 eandem cupiditatem possumus nuncupare; 2, 3 tertium — medium nuncupavit; 2, 7 hanc — fidelitatis vocabulo nuncupat; 2, 12 ea non simpliciter bona nuncupanda sunt; mund. 10 terrigenae nuncupantur. ex superioribus illis *esse voltu liberali* hoc *esse* falso iteratum iudico et prorsus delendum censeo.

ibid. 12: *alteram vero caelitem Venerem — solis hominibus et eorum paucis curare, nullis ad turpitudinem stimulis vel illecebris sectatores suos percellentem.*

Pro *percellentem* F Krueger cum O. Iahnio pellicientem dedit. sed melius Vliet, qui ad traditam revertit lectionem. nam *percellere* sensu *permovere* h. l. positum, ut supra c. 2 'pollicitus ita facturum nec sic quidem quitus est ut cominus ageret percelli', ubi *propelli* praeter necessitatem Gruterus scribi voluit. ceterum verbo *percellendi* etiam his locis usus est Apuleius: met. 9, 17 summo pavore perculsum; ap. 12 vi immodica trucique perculsorum (= superatorum) animalium serva corpora complexu vincientem; flor. 16, p. 170, 20 perculsi — miraculo; mund. 14 plaustrum oneratum percellit; 17 inferiores quoque facilius adire atque percellere. denique l. l. *percellentem* ea quoque ex causa retinendum erit, quod subest clausula rhythmica Apuleio gratissima –́ ᴗ –̀ - ′ ᴗ̆ — ᴗ (sectatores suos percellentem).

ibid. 14: *quippe in omnibus manu faciundis imaginibus opera diutina sumitur, neque tamen similitudo aeque ac in speculis comparet.*

In *aeque ac* non paullum haereo. nam ante vocalem, qui usus alibi servatur apud Apuleium, desideratur *atque* pro

*ac*, deinde alibi hic scriptor *aeque ut* vel (in negativis sententiis) *aeque quam* dicit. cf. met. 5, 6 amo enim te aeque ut meum spiritum; apol. 99 quivis vel aeque ut ego spernens hereditatis; flor. 4, p. 149, 21 nihil aeque se laborare quam quod — dicerentur; 6, p. 152, 1 nec quicquam aeque penes illos laudo quam quod — otium oderunt; cf. et met. 5, 11 et proinde ut maerebant ora lacerantes; 5, 27 dissipatis et proinde ut merebatur laceratis; apol. 61 proinde ut loculi suppetebant; 10 Mantuanus poeta, qui itidem ut ego puerum amici sui — laudans; 26 neque enim — divina potentia caveri potest itidem ut cetera. postremo φ cum F discrepat, si quidem *aeque ut* habet. hoc *aeque ut* videtur reponendum.

Quia Apuleius, ut dixi, vitat *ac* ante vocalem, miramur, quod Vliet apol. 55 e coniectura scribere ausus est: 'negare, ac <ut> maxime fuisse concedam, tamen habeam dicere'. melius erat, quod Koch dedit: 'ac <si> maxime fuisse concedam'. ego vero praetulerim: 'negare at<que etsi> maxime'. cf. ap. 90 etsi maxime magus forem; 92 etsi sit oppido pauper; 66 etsi vere magum me comperisset; 24 etsi adhuc Syphacis oppidum essemus.

ibid. 14: *tantum praestat imaginis artibus ad similitudinem referundum levitas illa speculi fabra et splendor opifex.*

Non recte fecit Vliet, quod in illo *referundum* codicis F pressit vestigia. nam hoc gerundium repugnat sermoni Apuleiano, requiritur gerundivum *referendam*. cf. apol. 19 ad irridendam paupertatem; 23 ad causam agundam; 29 ad suspectandam magiam; 45 ad caducos consternandos; 59 ad calumniam venditandam; 59 ad repotia cenae obeunda; 93 ad possidendam domum; 65 ad immolandas victimas; 67 ad nectendas magiae calumnias; met. 4, 19 ad conprimendam bestiam; 5, 10 ad superbiam puniendam; 9, 18 ad expugnandam — disciplinam; 9, 40 ad commovendam miserationem; 10, 16 ad explorandam mansuetudinem; 10, 22 ad supplendam eius libidinem; flor. 2, p. 146, 6 ad examinandos homines; 3, p. 148, 12 ad deridendam barbariam — ad stoliditatem puniendam; 9, p. 159, 17 ad coercenda peccata; Plat. 1, 14 ad explendam victus necessitatem; 1, 16 ad celeritatem facilius emoliendam. speciosa illa scriptura, quam dignam Vliet existimavit, quae reponeretur, haud dubie *u* et *a*, quae in archetypo fuit, explicatur similitudine. ea et alibi hae litterae in F confusae deprehenduntur, velut: apol. 4 aspernanda (aspernunda F); 15 aeris (ueris Fφ); accendant (accendunt F); 25 immania (immunia F); 29 mutuo (mut$\overset{u}{a}$o F); 31 a quibus-

dam (a quibusdum F); 37 peregregiam (peregregium F); 59 nam (num F); 70 coactam (coactum F); 75 praefandus (praefundus F); 90 relictam (relictum F); 92 utramvis (utrumvis F); met. 6, 14 in lapidem (in lupide F); 8, 25 reddant (reddunt F); 9, 38 iugulum (iugulam F); flor. 3, p. 148, 18 fortuna egenus (fortunę genas F[1], fortuna egenas F[2]); 16, p. 170, 7 impertiunt (impertiant F). item R. Helm (Quaest. Apul. in Philol. suppl. IX p. 561) l. l. *referendam* pro vera habet lectione.

Sed etiam apol. 69 'nuptiis valetudinem medicandum' hoc mendum residet et ex usu scriptoris legendum *medicandam*. cf. apol. 8 maiorem curam — impertiendam; 15 imaginem suam cuique visendam; ibid. putas maiorem curam — suscipiendam; 41 eam rem non putares accusandam; 48 scires omnium factorum rationes diligentius examinandas; Plat. 2, 24 quam existimat moderatis utilitatibus sustinendam; 2, 26 causam decernit spectandam esse; met. 1, 26 viae vexationem — censerem diluendam; 2, 26 causam decernit spectandam esse; 2, 29 hi pessimam feminam — sepeliendam, alii mendacio fidem non habendam; 7, 9 quin ego censeo — deducendam eam — ibique venundandam; 10, 28 certe bestiis obiciendam pronuntiavit; 11, 19 vitam — esse muniendam. itaque non adsentior Helmio p. 561 codicum lectionem probanti.

ibid. 18: *enim paupertas olim philosophiae vernacula est.*

Apuleius *enim* primo sententiae loco ponere audet, ut est in enuntiato, quod hic adtuli. sed hic eius usus nondum in metamorphosibus increbruit; nam pro *enim* F legendum cum Luetjohanno et Vlietio videtur *enimvero* met. 4, 8 enim<vero> vos bonae frugi — latrones — scrutariam facitis; 4, 22 enim<vero> nobis anus illa recens hordeum adfatim — largita est. etenim ibi particula adversativa exigitur sententiarum ratione.*) itaque in apologia demum certa huius collocationis insolitae deprehendimus exempla, velut praeter l. l. 18 enim geometriae penes Graios primus repertor; 98 enim Latine loqui neque vult neque potest; 99 enim longe sequius ratus fuerat. accedunt loci flor. 9, p. 157, 11 enim non pigebit me commemorare; ibid. enim sic natura comparatum est; Socr. 8 enim semper illis victus omnis in terra; 19 enim Socrates utpote vir adprime perfectus.

*) Traditam lectionem utroque loco tuetur nunc Helm (Quaest. Apul. p. 573), sed mihi rem non persuasit.

ibid. 18: *quippe haec et alia flagitia divitiarum alumni <esse> solent.*

*Esse* supplevit Vliet. at eius additamento non tam bona existit clausula (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏑ –̀) quam ea fuit, quae in tradita lectione inest (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀ divitia r(um) alumni solent). ea re prohibemur Vlietium sequi, quamquam *solent* sensu *solent esse* positum alio Apulei loco confirmari non potest. sed aliunde exempla afferri possunt talis locutionis, velut e Tertulliano; cf. Ux. II 2 sic solet divina vox (sc. esse); Marc. I 25 non poterit ea bonitas sine suis dotibus (sc. esse); Res. 45 magis illud prius est, sine quo priora non possunt (sc. esse). vide Hoppe, Syntax und Stil des Tertullian p. 144.

Data hac occasione moneo non recte Vlietium propter insolitam verborum constructionem reliquisse traditam lectionem met. 2, 8 et scripsisse 'nudam pulchritudinem suam praebere [se] gestiunt'. nam sic corrupit elegantem clausulam rhythmicam –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀ (praebere se gestiunt), cuius gratia scriptor contra morem suum se infinitivo addidit. ceterum cf. Sall. Cat. 1, 1 omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet; 7, 6 se quisque hostem ferire — properabat.

ibid. 27: *quid enim, si iuvenis, quid si etiam senex adsistente me corruisset vel morbo corporis implicitus vel lubrico soli prolapsus?*

*Implicitus* male scripsit Vliet pro *impeditus* F. nam sana est codicis scriptura et utique tenenda. *impeditus* enim idem valere potest quod *implicitus*; cf. ap. 4 capillus — amoenus et delicatus, horrore implexus atque impeditus; met. 5, 22 crinium globos decoriter impeditos; 9, 3 atque omni morbo scirent expeditum; (Plat. 1, 15; 1, 16; — Hor. carm. 1, 4, 9 viridi nitidum caput impedire myrto; sat. 1, 6, 27 nigris medium impediit crus pellibus; Ov. met. 2, 433 narrare parantem impedit amplexu. posuit autem Apuleius *impeditus* pro *implicitus*, quod erat usitatius, ut adipisceretur rhythmicam clausulam –́ ⏑ ⏑̀ –́ ⏑ — ⏑, cui responderet in membro sequenti clausula –́ ⏑ — — –́ ⏑ (corporis impeditus — lubrico soli prolapsus).

ibid. 30: *audi sis, Tannoni Pudens, quam multa nescieris, qui de piscibus argumentum magiae repetisti.*

*Repetisti* pro *recepisti* F Vliet cum Rohdio scripsit. sed cur *recipere argumentum de aliqua re* apud Apuleium dam-

netur non video (cf. mund. 31) nec cur *repetisti* praeferatur intellego. immo *recepisti* sincera est lectio, utpote quam tueatur numerus clausulae egregius ˊ ◡ ˘ ˊ ◡ (magiae recepisti).

ibid. 35: *ne tu, Claudi Maxime, nimis patiens vir es et oppido prolixa humanitate, qui hasce eorum argumentationes diu hercle perpessus sis.*

*Prolixa* pro *proxima* F scribunt e Casauboni coniectura editores, in iis etiam Vliet. nunc vero Helm p. 540 l. l. tuetur librorum lectionem, spernit Casauboni inventum. sed *proxima* neque sensu *manifesta* neque vi *obvia* sententiae convenit, si quidem 'humanitas magna' hoc loco denotanda est. orator enim dicere vult Claudium Maximum virum et patientissimum et humanissimum esse, manifesta autem potest esse humanitas etiam parva. itaque standum erit, opinor, Casauboni emendatione. accedit quod haud raro utitur Apuleius adiectivo *prolixus* et verbis, quae cum eo cohaerent. cf. ap. 19 ipse uberem et prolixam rem familiarem sortitus est; 88 cohibeo me in tam prolixo loco; 99 bonae uxoris prolixam liberalitatem — coercerem; met. 1, 20 asperam denique ac prolixam viam — evasi; 2, 9 vel prolixa serie porrectus dorsa permanat; 3, 24 iam facies enormis et os prolixum; 3, 27 et cervice prolixa; 3, 29 et prolixa satis itinera; 4, 1 et sermo prolixus et oscula mutua; 4, 2 in lauri faciem prolixe foliatae; 5, 25 sed senectutis prolixae beneficio — instructus; 7, 14 me — matrona prolixe curitabat; 7, 17 verum fustium quoque crebris ictibus prolixe (sic Luetjohann, *perclive* F φ, lectio non est certa) dedolabar; 8, 9 prolixum heiulat; 8, 10 et prolixe consentit; 8, 28 prolixe fimbriatum; 9, 11 mihi — loca lautia prolixe praebuit; 10, 4 ergo prolixe pollicetur; 10, 27 omnia prolixe adcumulateque pollicetur; 11, 3 crines uberrimi prolixique; 11, 26 sermone prolixo commoratus; flor. 15, p. 165, 4 coma prolixior; 18, p. 180, 6 prolixa oratio suppeteret; 24, p. 190, 14 in rebus subitariis venia prolixior; mund. 7 terrae — prolixitas; 16 sed prolixa lux stellaeque fluor.

ibid. 44: *negent hoc conservi eius, qui sunt in ministerio vestro: omnium rerum convictum me fatebor. [nisi] rus adeo <ab ore> omnium diu ablegatus est in longinquos agros, ne familiam contaminaret.*

Scripturam F φ *rusa de omnium diu* varie critici tractarunt. velut *rus ab ore omnium diu* proposuit Zink, *rus adeo omnium visu* Krueger, *rus adeo ab ore omnium diu* Vliet scrip-

sit. sed ita locus sanatus non est. nam illa *ab ore omnium* vel *omnium visu* praeter necessitatem adduntur et *adeo* cum *diu* iungendum videtur; etenim in temporis spatio tota ferme vertitur sententia. *omnium* deleri oportet utpote ex illis '*omnium* rerum' iteratum. deinde *nisi*, quod F φ traditur, teneri potest, si *fatebor* cum *nisi* — *ablegatus est* coniungatur. itaque sic potius locus restituendus videtur: 'omnium rerum convictum me fatebor, nisi rus adeo [omnium] diu ablegatus est in longinquos agros, ne familiam contaminaret'.

ibid. 46: *cedo pueros istos, quibus confiditis: produc, nomina qui sint.*

Traditam memoriam nuper Helm (l. l. p. 542) in dubium vocavit. is cum *nòmina* pro accusativo haberet, verbum desideravit, quocum et *nomina* et *qui sint* coniungi posset. itaque scribendum esse iudicavit: 'produc, <dic> nomina qui sint'. at lectio vulgata integra est. *nomina* enim non accusativus, sed imperativus est eique recte illud *qui sint* subiectum. cf. ap. 43 quod si ita est, nominate, quis ille fuerit puer sanus; 45 postulo, ut nomines, quinam testes huic piaculari sacro adfuerint; cf. et 47 at nullas hostias nisi gallinas nominastis; 78 quos si voles, nominabo.

ibid. 67: *quid igitur est? cuivis clarius die lucet, aliam rem invidia nullam esse, quae hunc — provocarit.*

*Clarius die lucet* Vliet cum Iahnio scripsit pro *clari dilucet* F. quae lectio quamquam verbis c. 83 'luce clarius apparent' adiuvari videtur (cf. et met. 8, 30 iam die claro: 9, 3 iamque clara die), tamen praeferenda non est lectioni vulgatae 'clare dilucet'. nam haec et facilius ex tradita scriptura efficitur (*clare* propter *di* in *clari* a scriba est mutatum) et servat *dilucet*, quod non est cur suspectetur. cf. Gell. 6, 10, 3 per quod satis dilucet hanc 'capionem' posse dici; 16, 8, 16 tum denique et emolumentum eius in animo tuo dilucebit. sed numeris quoque haec lectio commendatur (–́ ⏓ –̀ –́ ⏓ –́ ⏑).

ibid. 68: *sed puerorum avus invitam eam conciliare studebat iterum filio suo Sicinio Claro eoque ceteros procos absterrebat.*

*Iterum* pro *ceterum* F scripsit Riese eumque Vliet secutus est. mihi *iterum* recte se habere non videtur, quia tum primum avus ille Aemiliam Pudentillam Sicinio Claro filio conciliabat. nisi fallor, insequens *ceteros* a librario prae-

occupatum erat atque inde *ceterum*, quod servatum codicibus est, prodiit. quod si ita recte statuimus, *ceterum* F tollendum erit.

Etiam paulo infra dittographia subesse videtur in his: 'verum enim vero variis frustrationibus nuptias eludit eo ad, dum puerorum avus fato concessit, relictis filiis eius heredibus'. *eo ad dum* insolenter dicitur, ita ut Krueger *adeo dum* legendum putaverit. at vero *adeo dum* nusquam usurpavit Apuleius, sed eo sensu *usque dum* ter scripsit, *usque donec* semel; cf. met. 2, 17 me satiavit, usque dum — ambo corruimus; apol. 80 accipe tu et lege, usque dum ego interloquar; flor. 18, p. 182, 1 nec reddere, usque dum — eum ad iudices provocavit; met. 7, 28 obtrudit usque (sic Sauppe, *obtrudit; q*; F) donec — confoedassem. fortasse illud *eludit eoad* nihil aliud est nisi *eludit*, ortum ex $\overset{elud}{\textit{eoadit}}$, et *eoad* prorsus delendum.

ibid. 82: *nemo erat qui pro me ferret ac sic responderet: 'totam sodes epistulam cedo'.*

Vliet restituit codicum scripturam *ferret*, quam Krueger cum Colvio in *faceret* mutaverat, sed dubito an sinceram sic lectionem adeptus sit. Apuleius enim *ferre* sensu *sententiam ferre* nusquam scripsit, ut ne alii quidem, quod sciam, scriptores. cf. met. 3, 3 constanter itaque in hominem alienum ferte sententias de eo crimine; Socr. 16 prorsus illius testimonio ferri sententiam; — Quint. decl. p. 88, 4 R. quod contra me sententias tulerunt sanctissimi iudices; Min. Fel. Oct. 37, 1 victor ipsi qui adversum se sententiam dixit insultat. itaque excidisse *sententiam* verisimile est et scribendum 'qui <sententiam> pro me ferret'.

ibid. 83: *patent artes tuae, Rufine, fraudes hiant, detectum mendacium est: veritas olim interversa nunc se effert et velut alto barathro calumnia se mergit.*

Ita Vliet verba edidit pro *calumnias emergit* F. sed recte eam lectionem Helm p. 581 impugnavit monstrando conferri calumnias et barathrum dicique veritatem in calumnias tamquam in barathrum cecidisse et tum rursus foras exire. neque tamen eidem adsentior proponenti legendum cum Salmasio 'velut alto barathro calumnia (i. e. e calumnia) s<e> emergit'. nam primum sic hiatus '*se e*mergit' existit, quem ante graviorem verborum distinctionem Apuleius in clausula vitabat. deinde alibi *emergere* ab eo vi

intransitiva ponitur, non cum acc. *se* iungitur: ap. 57 fumum terra sua emergentem; met. 1, 17 emergo laetus; 3, 10 nec prius ab inferis emersi; 5, 29 emergit e mari; 11, 1 lunae — orbem commodum marinis emergentem fluctibus; 11, 3 et ecce pelago medio — emergit divina facies. itaque scribere praestabit: 'velut alto barathro calumniis emergit'. pluralis *calumniis* tenendus est etiam propter locus cap. 84 et sanitatem suam a vestris calumniis quodam praeconio vindicat; ib. quod a principio intellectas calumnias, ne corroborarentur tempore, praecipitasti; 103 si calumnias omnes refutavi.

ibid. 86: *immo enim numquam matris tuae litteras attigisses, si ullas alias litteras attigisses. at etiam ausus es tuam ipsius epistulam legendam dare, quam nimis irreverenter — de matre tua scriptam.*

*Etiam* pro *quam* Vliet cum Acidalio scripsit, Colvius, quem Krueger secutus est, *atquin* proposuit. fortasse vero *quam* ex 'num*quam*' iteratum vel ex '*quam* nimis' praeceptum et ideo delendum. certe nullo sententiae detrimento illud *etiam* omittatur. paulo ante sententiae sufficit *abnuere* supplere; legendum: '<abnuere> non auderes'; cf. 92 quis — culpare auderet, si mulier — invitasset?

ibid. 87: *neget fratrem suum Pontianum graviter ab ea monitum, ut sibi ab insidiis Rufini caveret: neget <se>vere obiurgatum, quod litteras — vulgo circumtulisset.*

*Severe* Vliet scripsit pro *vere* F, Kruegero obsecutus. quae minime est vera emendatio. nam non *severe*, sed *severiter* alibi dicit Apuleius: met. 2, 27 severiter vindicate; 3, 3 civem severiter vindicaretis; 4, 31 severiter vindica. sic etiam *firmiter* pro *firme* dicit constanter hic scriptor; cf. met. 1, 16; 1, 22; 3, 12; 3, 15. mihi *vere* F, quod sententiae aptum non est, dittographia ex praecedenti 'ca*ueret*' videtur ortum.

ibid. 93: *fuit nae hoc praedonis, quem vos fingitis.*

*Nae* cum Hildebrandio edidit Vliet. sensu conveniat hoc loci sententiae, sed adversatur ei, quod eam particulam primo tantum enuntiati loco Apuleius ponit; cf. met. 1, 3 nae, inquit, istud mendacium tam verum est; 1, 6 nae tu fortunarum lubricas ambages — ignoras; 1, 17 nae, inquit, inmerito stabularios hos omnes hospites detestantur; 1, 18 nae, inquam, inmerito medici — autumant; apol. 13 ne ego necesse ha-

beam; 35 ne tu, Claudi Maxime, nimis patiens vir es; 39 ne ego reprehendar; 85 ne tu in ea <nihil> cogitas nisi unam parentis religionem; flor. 25, p. 193, 5 ne ego inscita, quae certaverim. itaque si l. l. *nae* verum esset, desideraretur hic verborum ordo: 'nae hoc praedonis fuit'. servato eo qui traditus est ordine cum Kruegero interrogatio restituenda erit 'fuitne hoc praedonis, quem vos fingitis?'.

**flor.** 2, p. 146, 13: *ac si ad oculos et obtutum istum terrenum redigas et hebetem, profecto verissime poeta egregius dixit.*

Non de nihilo Rohde offendit in *redigas* sensu *te redigas* posito et *<cuncta> redigas* proposuit. nam a tali verbi eius usu Apuleius alienus est. sententiae satis fecerit vel *rediga<ri>s.* cf. met. 10, 16 ad usque intestinorum dolorem redactus; apol. 43 posse animum humanum — remota corporis memoria redigi ac redire ad naturam; ibid. an ipse animus expergitus cito ad divinationem suam redigatur.

ibid. 2, p. 146, 20: *cum igitur eo sese aquila extulit, nutu clementi laevorsum vel dextrorsum tanta mole corporis labitur, velificatas alas quo libuit advertens modico caudae gubernaculo, inde cuncta despiciens eminus, inhibens pinnarum indefessa remigia ac paulisper cunctabundo volatu paene eodem loco pendula circumtuetur et quaerit, quorsus potissimum — sese ruat.*

*Eminus*, quod in codicibus post *pinnarum* est, Vliet post *despiciens* transposuit et *inhibens* pro *ibidem* scripsit, quae eum recte fecisse minime contenderim. nam *inhibens* in *ibidem* non facile transiturum fuit et *eminus* post *inde* supervacuum est. ego *ibidem* cur mutetur nihil video causae, *eminus* vero ex margine in verba scriptoris delatum puto ac pertinere ad *inde* explicandum arbitror. legerim igitur: 'inde [eminus] cuncta despiciens; ibidem pinnarum indefesso remigio (sic iam Scaliger) ac paulisper cunctabundo volatu paene eodem loco pendula circumtuetur et quaerit'.

ibid. 7, p. 153, 3: *edixit universo orbi suo, ne quis effigiem regis temere adsimularet aere, colore, caelamine: quin saepe solus eam Polycletus aere duceret, solus Apelles coloribus deliniaret, solus Pyrgoteles caelamine excuderet.*

*Saepe,* quod codicibus exhibetur, compluribus iam suspectum visum est. nam non est verisimile Alexandrum prae-

cepisse, ut artifices illi vel saepe effigiem ipsius facerent; satis erat, si ii soli imaginem eius depingerent, non alii minus periti. illud *saepe* eo magis movet suspicionem, quod hic cum *quin* coniunctum est. nam *quin* cum *solus* iungi oportere ex sententia, quae praecedit, satis apparet. sed neque *quippe* cum Heinsio, neque *semper* cum Vlietio pro voce illa dederim, verum cum Wowero eam incluserim. subesse enim potest dittographia 'quin *s aere* solus', orta ita, quod librarius ad ea, quae mox succedunt, 'Polycletus *aere* duceret', praevertit. cf. mendum, quod est apud Ammianum Marc. 22, 16, 8 aurae spirantes, aer (saepe codd.) tranquillus.

ibid. 9, p. 156, 3: *nam quodcumque ad vos protuli, exceptum ilico et lectum est, nec revocare illud nec autem mutare nec emendare mihi inde quidquam licet.*

*Nec autem* Vliet cum Lipsio Kruegeroque scripsit pro *ame* F φ. ego non puto hanc scripturam genuinam esse. nam *neque autem (nec vero)* in ultimo demum membro esse solet, non in medio; cf. apol. 95 neque additum quicquam velis neque detractum neque autem aliquid commutatum; flor. 9, p. 156, 1 proconsulis autem tabella sententia est, quae semel lecta neque augeri littera una neque autem minui potest; met. 6, 12 neque tua — morte — aquas polluas nec vero — feras aditum; cf. et Liv. 40, 9, 8. *ame* l. l. prorsus delendum videtur. nam subesse potest *eme* ex sequenti '*emendare*' praesumptum. similis error tenetur flor. 17, p. 176, 10 'quoniam cupere nemo nisi vere [putem] potest, potest autem quivis falso gloriari'. in hoc enim *putem* inest *autem*, quod a scriba erat praeoccupatum.

ibid. 9, p. 156, 17: *omnia secum quae habebat, nihil eorum emerat, sed suis sibi manibus confecerat, et indumenta, quibus indutus, et calciamenta, quibus erat inductus, et gestamina, quibus erat conspicatus.*

Post *habebat* verbum excidisse videtur; nam durius illa *nihil eorum* ad relativum enuntiatum, quod praecedit, referuntur. suspicor scribendum esse: 'omnia secum, quae habebat, <adtulerat>, nihil eorum emerat'. paene pro certo habeo mox legendum esse 'quibus <erat> indutus'; nam *erat* ut addatur, concinnitate, quam captat Apuleius, flagitatur; cf. mox *erat inductus* et *erat conspicatus*.

ibid. 12, p. 162, 8: *id vero quod didicit (sc. psittacus) ita similiter nobis canit vel potius eloquitur, ut vocem si audias,*

*hominem putes: nam † quidem si audias idem conate non loqui. verum enimvero et corvus et psittacus nihil aliud quam quod didicerunt pronuntiant.*

Hic locus a nonnullis iam tractatus est, neque tamen persanatus. satis probabiliter eum emendari posse ego existimo, si quidem quae fuerit sententia satis apparet. corvus enim psittaco hominum sermonem mirabiliter imitanti opponitur; cf. mox 'corvus et psittacus — pronuntiant'. cum hoc tenendum est, tum etiam illud, ***nam quidem*** integrum relinquendum esse. nam sic hae particulae conexae inveniuntur apol. 7 nam quidem feris et pecudibus os humile et deorsum ad pedes deiectum; 23 nam quidem leporem nondum etiam inveni; Socr. 8 nam quidem qui aves aeri attribuet, falsum sententiae meritissimo dixeris. exclusus est hic usus metamorphosibus, ubi 11, 4 'quidem' a 'nam' disiunctum vides 'nam dextra quidem ferebat aereum crepitaculum'. hoc si ita est, l. l. hanc proponere licet emendationem: 'nam quidem si audias <corvum, dicas> idem conari, non loqui'. accusativus *eum* pro subiecto in illis 'idem conari, non loqui' subaudiri potest, ut aliis locis subauditur in acc. c. inf. apud Apuleium. cf. apol. 17 ne illud quidem credibile fuisset cum tribus venisse (sc. eum), omnes liberasse; 48 negavit tamen — Themison medicus — quicquam ultra passam (sc. eam); 61 igitur primo buxeam temptasse (sc. eum); 70 coactam fecisse ais (sc. eam); 70 talem nuptam futuram (sc. eam). non recte supplevisse *illum* Vlietium puto met. 5, 28 'puto puellam <illum> — si probe memini, Psyches nomine dicitur — efflicte cupere'; nam et hic accusativus *eum* pro subiecto mente addi potest.

ibid. 14, p. 163, 10: *adeoque eius cupiebatur, ut virgo nobilis, spretis iunioribus ac ditioribus procis, ultronea eum sibi optaverit.*

*Cupere* cum genetivo hic iunctum ad instar ἐπιθυμεῖν Graecorum, sed ea audax est structura parumque veri similis, cum alibi, si *cupiens* (= cupidus) exceperis, Apuleius accusativum huic verbo et voci *concupiscendi*, ut alii, addat. inde adducor, ut nominativum, unde suspensus fuerit genetivus *eius*, omissum esse existimem. ego puto legendum esse 'adeoque eius cupiebatur <convictus>, ut....' *ultronea eum* scribunt editores pro *ultroneum* F φ, Hildebrandio obsequentes. sed certa prorsus ea lectio non est. nam etiam 'ultro eum sibi optaverit' ex tradita scriptura efficere licet. librarius enim facile *ultroeum* in *ultroneum* augere po-

tuit; cf. met. 4, 32 animi saucia (animis audacia F); 3, 16 praecepit auferre (praecipitavit ferre F); 11, 12 inclementi me (inclementissime φ). hoc *ultro* etiam frequenti scriptoris usu commendatur; cf. met. 2, 6 ut etiam ultro gestirem — tradere; 2, 11 armiger Liber advenit ultro; 2, 15 quod ultro inducta serie — fructum amitterem; 3, 4 de facto confiteatur ultro; 3, 13 ego — ipsa confiteor ultro; 6, 4 soles praegnatibus — ultro subvenire; 6, 7 ultro ad Tartarum — commeare cogeretur; 8, 10 et opertas exoptat ultro tenebras; 9, 3 iamque ultro foribus patefactis; 9, 37 non tam hercules desperata quam ultro neglecta sua salute; 10, 3 rogat ultro — causa aegritudinis; 11, 13 et ultro porrecta dextera — coronam exhibuit; apol. 1 ultro eos — provocavi; 15 ultro etiam suasisse fertur discipulis suis; 18 acceptum — crimen et ultro profitendum; 22 quem Crates ultro divitiis abiectis appetivit; 33 quem mihi ultro attulit ad inspiciundum; 35 ultro foras evolvuntur; 45 ultro confiteor; 46 ita hoc quoque ultro provoco; 65 en ultro augeo magiae suspicionem; 73 quam si ultro appetissem (feminam); 77 ultro ipse levitatis — increpitus reportat; 81 et ultro contrariam mihi opinionem — quaesivit; 91 ipsi ultro improbaverunt. etiam illa re l. l. *ultro eum* fit probabilius, quod nisi in metamorphosibus non utitur Apuleius voce *ultroneus*. qui loci sunt: 1, 19 ultroneum exilium amplexus; 2, 30 et in exanimis umbrae modum ultroneus gradiens; 6, 5 et ultroneum te dominae tuae reddis; 7, 20 ignem ultroneam accersisse mihi; 8, 14 ultronea vobis — en adest victima.

ibid. 15, p. 166, 18: *Chaldaei sideralem scientiam, numinum vagantium status, ambitus utrorumque varios effectus in genituris hominum ostendere, nec non medendi remedia morbis letalibus <longis> lustratis provinciis terra caeloque et mari conquisita.*

Illa *morbis letalibus longis lustratis provinciis* Vliet pro *mortalibus latis pecuniis* F φ invenit in suaque editione scribere ausus est. subesse tamen videtur adnotatio cuiusdam *mortalibus* (i. e. hominibus) *<de>latis pecuniis*, quae in verba scriptoris e margine inlata erat.

ibid. 16, p. 169, 8: *certavitque cum eo, fortasse impar, certe aemulus. namque eum etiam vicit saepe numero: pudet dicere.*

Recte fecit Vliet, quod, cum Krueger edidisset 'vicit saepe: numerum pudet dicere', revocavit *saepe numero*,

quod F φ traditur. nam hoc Apuleianum est, ut vides ex his locis: apol. 29 nam saepe numero — panem pretio mutavi; 43 ut ter an quater die saepe numero — corruat; ibid. medicis saepe numero ostensum; flor. 18, p. 180, 16 qui penes extrarios saepe numero promptissime disceptavi; Socr. 10 ut saepe numero animadvertimus; 14 comperimus saepe numero indignata numina; 20 qui hominum arioli vocem audiunt saepe numero auribus suis usurpatam. exclusus est usus huius *saepe numero* metamorphosibus. Vliet codicum memoriam servando scripsit mox 'pudet dicere'. sed sic frigere mihi ea verba videntur. aliquid excidisse suspicor, quod illi *numerum*, quod Krueger scripsit, simile sensu sit. vereor, ne fuerit: 'eum — vicit saepe numero: <quotiens>, pudet dicere (= quotiens vicerit, p. d.)'. cf. met. 8, 24 repertum obiecit: scitote, qualem.

ibid. 16, p. 171, 7: *haec ego ita facta, ut commemoravi, olim didiceram, sed . . . . a n t e d i e s s u m e m e o periculo recordatus.*

Lacunae signum Vliet posuit idemque *ante dies sum e meo periculo* pro *audies me meo periculo* F scripsit. quae inventa reicienda esse iudico. nam sub *audies* latere videtur *hodie*, quod apte illi *olim* opponatur. post autem verbum desideratur, quod illi *didiceram* adversum sit. denique *me* merae dittographiae deberi potest. legendum censeo, id quod data occasione iam in Spic. Curt. p. 31 proposui: 'haec ego ita — facta olim didiceram, sed h o d i e <p r i m u m  n a r r a v i>, m e o periculo recordatus'.

ibid. 16, p. 173, 7: *qua remuneratione dicendi gloriam tui facti aequiperem, h a u d u m hercle repperio.*

*Haudum* Vliet cum Kruegero scripsit pro *andum* F φ. sed ea falsa est lectio, quoniam nusquam utitur hac voce Apuleius. reponendum erat sine dubitatione <*n*>*ondum*, quod et satis prope accedit ad traditam scripturam et congruit cum usu scriptoris vel maxime; cf. apol. 23 nam quidem leporem nondum etiam inveni; 85 et nondum poenae — sufficit; flor. 3, p. 147, 14 nondum quidem tam inflexo animae sono; 9, p. 157, 10 nondum omnia eius commemoravi; 16, p. 173, 15 nondum mihi vacat gratias agere; 16, p. 171, 22 nondum quidem ad innitendum idonee; 24, p. 190, 9 si qui tamen vestrum nondum subitaria ista nostra cognostis; mund. 19 nondum sit eius mortalitas dissoluta; 38 et quod nondum ex colo tractum est. ceterum l. l. *nondum* iam in margine φ recenti manu est adscriptum.

ibid. 16, p. 175, 4: *id egone scirem* ***nec*** *praedicarem?* — — — *igitur, quod difficile factu erat quodque re vera arduum* ***non*** *<inmerito> existimabatur, — id — iam quodam modo mihi obtigit.*

*Nec* Vliet cum Vossio scripsit pro *ac.* praestare videtur legere 'id egone scirem ac non praedicarem', ut est p. 180, 6 'utinam mihi — prolixa oratio suppeteret ac non hic maxime clauderet'; ap. 67 quod in villa ac non in oppido tabulae nuptiales sint consignatae. illud *non* l. l. non ex meo addo, sed ex sequentibus peto, quo id ex margine olim falso delatum existimo. nam ibi 'non <inmerito>' minime est necessarium. cf. simile vitium met. 3, 18 'non ut ille, <qui> vivis pecoribus infestus tota laniavit armenta, sed longe fortius, [qui] tres inflatos caprinos utres exanimasti'; 4, 24 [sub] incerta salutis et <sub> carnificinae laniena. illud '*ac* non' restituendum videtur etiam ap. 79 'an sola Phaedra falsum epistolium de amore commenta est, ac (at F) non omnibus mulieribus haec ars usitata est...?'

ibid. 16, p. 175, 19: *quin etiam tibi, nobilitas senatorum, claritudo civium, dignitas amicorum, mox ad dedicationem statuae meae libro etiam conscripto plenius gratias* ***canam tenacique*** *libro mandabo, uti per omnis provincias eat.*

Pro *canam tenacique,* quod Vliet edidit, in F *canacique* extat scriptum. mihi et *canam* in hac coniectura displicet et *tenacique*, illud, quod prosa oratione praesertim talia Apuleius conscripturus fuisse videtur, hoc, quod quilibet alius liber *tenax* dici potest utpote fideliter rem, quae in eo scripta est, retinens. corruptelam *canacique* sic 'gameique' ego interpretor ac legendum censeo: 'libro — plenius gratias agam eique libro mandabo'. cf. flor. 16, p. 168, 14 priusquam vobis occipiam, principes Africae viri, gratias agere ob statuam; ibid. p. 172, 20 qua debeat philosophus ob decretam sibi publice statuam gratias agere; ibid. 173, 15 cupio gratus videri, sed prae gaudio nondum mihi vacat gratias agere. cf. etiam flor. 15, p. 165, 6 at medio mento lacullatur, eique prorsus citharoedicus status; met. 1, 7 ad quandam cauponam Meroen — devorto eique causas — refero; 5, 29 aliquem de meis adoptaturam vernulis eique donaturam istas pinnas; 6, 7 Venus caelo demeat eique sollicite serit verba; 6, 15 ob iussum Veneris petere eique se praeministrare; 7, 4 et manu strenuum eique se suasisse ac denique persuasisse; 9, 31 obtulit sese — eique totum novercae scelus aperuit; 10, 25 numerabat eique

protinus quinquaginta promittit sestertia; apol. 63 simulacrum — gestare eique diebus festis — supplicare. *eique* l. l. iam Oudendorp invenit, cui nunc Helm (p. 578) adsentitur.

Ceterum superscripta emendatione male intellecta depravatus videtur locus paulo superior, 16, p. 172, 13: 'quem qui laboriose exoraverit, sibi debet <dividu>am gratiam, quod impetrarit: qui vero sine molestia ambitus adeptus est, duplam gratiam praebentibus debet, et quod non petierit, et quod acceperit'. nam illud *dividuam* Vliet invenit in *nam* F. ego, cum sententia nihil amplius quam *gratiam* desideretur — etenim huic gratiae mox dupla gratia opponitur — *nam grã*, quod F habet, tamquam $\overset{tiam}{gr\tilde{a}}$ interpretor et 'sibi debet gratiam, quod impetrarit' pro genuina lectione habeo.

ibid. 18, p. 180, 8: *sed verum est profecto, qui aiunt nihil quicquam homini tam prosperum divinitus datum.*

Illa *qui aiunt* satis dure iis, quae praecedunt, adiunguntur. post *profecto* videtur omissum esse *eorum dictum.* cf. 20, p. 186, 9 sapientis viri super mensam celebre dictum est.

*Nihil quicquam* (pro solo *nihil*), quod h. l. ab Apuleio scriptum est, etiam alibi apud eum occurrit; cf. met. 4, 7 quae diebus ac noctibus nil quicquam rei quam merum — ingurgitare; 5, 11 certe de marito nil quicquam vel audias vel respondeas; 7, 2 nil quicquam rerum talium esse confessum; 7, 25 sic adseverans nihil quicquam promovebat; apol. 22 ut — nihil quicquam requirerem; 31 ceterum ad fabulam nihil quicquam videtur adiutare; 102 mihi <nihil> (sic recte supplevit Pricaeus) quicquam impertiret; flor. 9, p. 155, 3 nihil [ñ addit F, hoc recte exclusit Scriverius, quem nunc Vliet secutus est] quicquam sinit neglegenter — hiscere; 22, p. 189, 7 eas omnes ad bene vivendum <nihil> (recte addidit Vliet) quicquam esse. ut *nihil quicquam* pro *nihil*, ita *nemo quisquam* pro *nemo* Apuleius subinde dixit, velut met. 4, 21 nemo quisquam fuerit ausus; apol. 7 quanta nemo quisquam venenum.

Mox p. 180, 13 scribunt editores: 'id ego cum ante alias tum etiam nunc impraesentiarum usu experior'. illud *ante* pro certo habendum non est, cum *in* F exhibeat. ego hoc *in* prorsus deleverim, quoniam non raro librarii quibusdam adverbiis de suo *in* praeponunt; cf. Socr. 3 mediocritatem meam [in] longe superantibus. cf. et cd. Put. Liv. 21, 56, 1 in prope (= prope); 22, 3, 1 in circa (= circa); 23, 47, 4 in ante (= ante); Caes. b. civ. 2, 36, 2 in palam

(= palam); Tac. hist. 3, 10 in procul (= procul). vide etiam Woelfflini Arch. VI 408. ceterum cf. cum l. l. met. 7, 13 nam et alias curiosus <eram> et tunc latronum captivitatis spectator optabam fieri.

ibid. 18, p. 184, 1: *nunc quoque igitur principium mihi — ab Aesculapio deo capiam, qui arcem nostrae Carthaginis indubitabili numine propitius r e s p i c i t.*

*Respicit*, quod scripsit Vliet editionem Romanam secutus pro *strepit* F φ, certum non est. cogitare possis et de aliis verbis, velut de *tegit* collato loco Sallustii, quem scriptorem saepius, ut iam ostendam, sequitur Apuleius, or. Phil. 3 'pro di boni, qui hanc urbem — adhuc t e g i t i s'.

ibid. 19, p. 185, 12: *propius accessit, utine cognosceret i n o r e m o r t u i, quisnam esset, quoniam percontanti nemo responderat, an vero ut ipse aliquid in illo ex arte reprehenderet.*

*In ore mortui* Vliet pro *more ingenii* F φ scripsit, satis ille audacter, certe non vere. nam integra est tradita lectio ac refert imitationem loci Sallustiani Iug. 93, 3 'm o r e i n g e n i humani cupido difficilia faciundi animum invadit'; cf. et Apul. met. 2, 20 et more tuae urbanitatis fabulam illam tuam remetire; — Liv. 21, 22, 7 deinde c u r a i n g e n i i h u m a n i, cum, quidnam id esset, quod respicere vetitus esset, agitaret animo, temperare oculis nequivisse. Asclepiades dicitur l. l. propius accessisse, ut cognosceret, sicut ferebat eius ingenium, quisnam esset homo ille mortuus. quemadmodum h. l., ita aliis quoque quibusdam Apuleius Sallustium sequitur. imprimis hos locos conferre licet:

| | |
|---|---|
| met. 1, 16 'iam iam grabattule' inquam 'animo meo carissime; | Iug. 14, 22 iam iam, frater animo meo carissume; |
| ibid. 4, 6 res ac tempus ipsum locorum speluncaeque illius — descriptionem exponere flagitant; 9, 32 res ipsa mihi poscere videtur, ut huius quoque servitii mei disciplinam exponam; | ibid. 17, 1 res postulare videtur Africae situm paucis exponere; Cat. 5, 9 res ipsa hortari videtur — supra repetere; |
| ibid. 9, 14 sed omnia prorsus, ut in quandam caenosam latrinam, in eius animum flagitia confluxerant; | Cat. 37, 5 ei Romam sicut in sentinam confluxerant; |

| | |
|---|---|
| ibid. 6, 32 talibus dictis non pedibus, sed totis animis latrones in eius vadunt sententiam; 2, 7 et quod aiunt, pedibus in sententiam meam vado; | ibid. 50, 4 is postea permotus oratione C. Caesaris pedibus in sententiam Ti. Neronis iturum se dixerat; |
| Plat. 2, 20 qui per haec profectus fidenti et securo gradu virtutis via graderetur; | Iug. 1, 3 qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur; |
| mund. 24 de rectore quippe omnium non, ut ait ille, silere melius est, sed vel parum dicere. | ibid. 19, 2 nam de Carthagine silere melius puto quam parum dicere. |

ibid. 19, p. 185, 16: *iam miseri illius membra omnia aromatis perspersa, iam os ipsius unguine, odore delibutum, iam eum pollinctum, iam pyrae paratum contemplatus enim, diligentissime quibusdam signis animadversis, etiam atque etiam pertrectavit corpus hominis et invenit in illo vitam latentem.*

*Pyrae*, quod Vliet scripsit pro *pęnę* F, non est ferendum. nam eo graeco verbo non utitur Apuleius, sed latinam vocem adhibet, quae est *rogus*, velut: met. 2, 20 sed ex bustis et rogis reliquiae — petuntur; 10, 6 statim ab ipso eius rogo senex infelix ora -- rigans; apol. 8 quos iustius carbone de rogo obteruerit; flor. 19, p. 185, 22 procul ignes amolirentur, rogum demolirentur. fortasse *paene* genuinum est et ante hoc *igni* supplendum. deinde *enim* suspicionem movet. nam sic solum in media periodo positum nusquam apud Apuleium reperitur. itaque videndum, ne sic potius locus sit conformandus: 'iam <igni> paene paratum contemplatus est (= ẽ). diligentissime quibusdam signis animadversis etiam atque etiam pertrectavit corpus hominis'.

ibid. 20, p. 186, 14: *prima creterra litteratoris rudimento eximit, secunda grammatici doctrina instruit, tertia rhetoris eloquentia armat.*

*Rudimento* Goldbacher invenit eiusque lectionem Vliet secutus est; in F *rua . . to* est, in φ *ruato.* mihi *rudimento* non videtur integra esse scriptura. nam si id scriptor dedit, non intellego, cur pro *eximit* non dixerit *imbuit* vel simile aliquid, cum sequatur *doctrina instruit* et *rhetoris eloquentia armat.* ego propter hoc *eximit* in corruptela *rua . . to* substantivum inesse puto malam vel ingratam rem designans. vide, ne legendum sit 'prima creterra litteratoris *boatu* eximit' i. e. prima creterra discipulum litteratore liberat pueris litterarum elementa non sine magno clamore inculcante. de

substantivo, quod est *boatus*, cf. met. 3, 3 sic rursum praeconis amplo b o a t u citatus accusator quidam; cf. et met. 5, 29 iam inde a foribus quam maxime boans — inquit; 7, 3 et identidem boavi; 9, 20 fidem deum boantem; flor. 17, p. 177, 6 tragoedi identidem boando purgant ravim.

ibid. 20, p. 186, 16: *ego et alias creterras Athenis bibi: poeticae c o m m e n t a m, geometriae limpidam, musicae dulcem, dialecticae austerulam, iam vero universae philosophiae inexplebilem scilicet <et> nectaream.*

Non de nihilo *commentam* corruptum compluribus viris doctis visum est. nam qui potus aliquis *commentus* dici potest? sed neque *commixtam*, quod Bosscha invenit, sententiae aptum est, neque *commotam*, cuius lectionis Vliet est auctor. ego propono scribendum: 'poeticae a m o e n a m, geometriae limpidam'. cf. met. 3, 29 hortulum quendam prospexi satis amoenum; 4, 2 rosas teneras et amoenas; 4, 17 et f o n t e s a m o e n o s semper incubare; 5, 1 dei cuiuspiam luculentum et amoenum videre te diversorium; 8, 18 ad nemus quoddam — viretis amoenum; 11, 9 eas amoenus — sequebatur chorus; 11, 13 rosis amoenis intexta; apol. 14 capillus ipse — vides quam non sit amoenus ac delicatus; 12 quippe amorem eius non amoenum et lascivum; 94 rescripsit — qua verborum amoenitate simul et iucunditate; Socr. 22 illa — amoenissima et extructissima et ornatissima deprehendas; mund. 22 et rursus placatis omnibus amoena laetitia mundi reseratur.

ibid. 24, p. 190, 9: *si qui tamen vestrum nondum subitaria ista nostra cognostis, quae scilicet a u d i a t i s <o r o> pari favore, quo <q u a e> scribimus, venia propensiore, quam <q u a> legimus.*

Sic Vliet locum edidit plurifariam tradita memoria expleta mutataque. sed verba scriptoris corrupisse mihi ille potius videtur quam correxisse. nam illis *quae* et *qua* additis nihil opus fuisse apparet, si quidem et omissis iis recta est sententia et scripsisse ita alios quoque scriptores, velut Tacitum, non est ignotum. erroris vero Vliet coarguitur ea re vel maxime, quod corrupit additamentis illis numeros clausularum Apuleio adsuetos, priore loco numerum –́ ᴗ –̀ –́ ᴗ ̀ (favore quo scribimus), altero –́ ᴗ –̀ ᴗ́ ᴗ ᴗ (propensiore quam legimus). neque magis o r o Vliet inserere debebat et a u d i e t i s F in a u d i a t i s mutare. sed quod *quae* toleravit cum aliis editoribus, miror. nam eo retento deest ad enuntiatum *si qui tamen — audistis* sententia primaria seu

apodosis. fortasse subest *qui* ex superioribus falso iteratum et vox illa expungenda est. itaque locum sic legerim: 'si qui tamen vestrum nondum subitaria ista nostra cognostis, [quae] scilicet audietis pari favore, quo scribimus, venia propensiore quam legimus'.

**Socr.** 3: *quos deos Plato existimat naturas incorporalis, animalis neque fine ullo neque exordio sed prorsus ac retro aeviternas, corporis contagione <regione> suaque natura remotas.*

*Regione* supplevit Goldbacher, ut suaque servaretur. sententia evadit sic recta, sed tamen supplementum illud necessarium esse dici non potest; — cf. et 4 nullus deus miscetur hominibus, sed hoc praecipuum eorum sublimitatis est, quod nulla adtrectatione nostra contaminantur. magis ego crediderim *que* ab aliquo adnexum esse, ut ablativi *contagione* et *natura*, quorum diversa ratio ab eo non intellegebatur, coniungerentur. sed ne ablativus quidem *contagione* solus recte se habet. nam alibi '*remotus ab* aliqua re' scripsit Apuleius; cf. met. 4, 18 monumentum — a via remoto et abdito loco; ap. 4 sed haec defensio — aliquam multum a me remota est; 84 a quo multum magia remota est; Socr. 3 cum se vigore animi — a corpore removerunt; 6 neque enim illos a cura rerum humanarum sed contrectatione sola removi; mund. p. 105, 4 et remotarum ab oculis rerum investigationem sibi vindicet. Apuleium l. l. eo magis credibile est *a* praepositionem ante corporis contagione posuisse, quod ablativus *sua natura*, qui non est eiusdem generis, sequitur. itaque hanc lectionem proposuerim: '<*a*> corporis contagione sua [que] natura remotas'.

ibid. 15: *ob adversa vitae merita nullis sedibus incerta vagatione ceu quodam exilio punitur.*

Particula *ceu* Apuleius in metamorphosibus nondum usus est, in apologia demum semel eam posuit, c. 43 'morbo ceu somno vergens inclinatur', ubi perperam eam Casaubonus suspectavit et *seu* scriptum voluit. morbus enim ibi cum somno comparatur et particula comparativa, quae est *ceu* (= tamquam, velut), desideratur. item in floridis semel occurrit, 15, p. 165, 13 ceu parata percutere. frequentior vero est in libro de deo Socratis; nam praeter l. l. legitur illa: 1 ceu

quodam speculo radios solis — usurpat; 5 ceu balantium vel hinnientium — greges intervisat; 6 ceu quidam utriusque interpretes; 8 terra ceu portus est; 10 ceu quibusdam curvis torquibus coronarent.

ibid. 21: *quin potius nos quoque Socratis exemplo et commemoratione erigimur ac nos secundo studio philosophiae pari similium numinum caventes permittimus, de quo quidem nescio qua ratione d i r a p i m u r?*

*Dirapimur*, quod ex *dei rapimur* efficiunt editores, non credo Apuleium scripsisse. nam non *dirapere* habet is aliis locis, sed, ut par est, *diripere*, velut met. 7, 1 domum — quam proxime diripuimus: 7, 7 et diripimus omnia; 10, 15 quae diripiebant Phineias dapes. aliter locus ille est emendandus. *dei* tamquam ex '*de* quo', quod praecedit, falsa repetitione ortum delendum videtur et scribendum: 'nescio qua ratione r a p i m u r'. cf. met. 5, 18 tunc Psyche — rapitur verborum tam tristium formidine; Socr. 9 ne sursum versus calore rapiantur. mitiore verbo utitur, sed in eandem sententiam, hic scriptor met. 2, 5 simul quemque conspexit speciosae formae iuvenem, venustate eius s u m i t u r. ceterum illud *ratione rapitur* etiam adlitteratione, quam saepius captat Apuleius, in fine praesertim sententiae, pro genuino adseri vix opus est dicere.

Mox suppleto *quod* legendum est 'et nihil aeque miror quam <q u o d>, cum omnes et cupiant optime vivere et sciant —, tamen animum suum non colant'. nam ea particula nequaquam potest carere oratio.

ibid. 21: *sed non pudet me non esse s i g n i f i c u m.*

In archetypo quin *significatum* fuerit, dubitandum non videtur; nam *signific * * um* P, *significatum* L habet. neque tamen inde *significum* effici oportuit, verum *significem*. id scribendum esse ex eo apparet, quod alibi scriptor formis *signifex*, *opifex*, *aurifex*, *artifex*, *carnifex* utitur; cf. met. 2, 4 egregius ille s i g n i f e x; 3, 1 ipsum — carnificem; 6, 6 Vulcanus aurifex; 9, 1 nequissimus carnifex; 9, 30 manus opifices; 10, 2 non artifici medico; apol. 14 splendor opifex; 15 dicendi artificem; 61 artificem non ignoratis; 61 adest — Saturninus artifex; 62 Saturnino artifici; 64 mundi opifex, sed enim sine opera opifex; Socr. 1 diei opificem; Plat. 5 deus artifex; mund. 1 in tornando artifex; 31 artificum sollertia; 32 siquis — artificum voluisset.

ibid. 22: *sed cumprimis mirandum est, quod ea, quae minime videri volunt nescire, discere tamen neglegunt.*

Pro *cumprimis* Apuleius in metamorphosibus *inprimis* dixit 4, 6 mons — inprimis altus fuit. inde ab apologia demum *cumprimis* adhibet: ap. 7 cumprimis cui ulla fandi cura sit; 56 nonnullos et cumprimis Aemilianum istum facetiae sibi habere; 61 id munus cumprimis mihi gratum fore; flor. 5, p. 150, 11 sed cumprimis hoc spectandum esse; 7, p. 152, 27 sed cumprimis Alexandri illud praeclarum; 16, p. 174, 1 cumprimis commemoravit — iura amicitiae; Socr. 22 sed cumprimis mirandum est quod.

**Plat.** 2, 3: *quare praeter cetera induci ad hoc eos oportere, ut sciant, quae sequenda fugiendaque sint, esse honesta et turpia, illa voluptatis ac laudis, haec † tenus dedecoris ac turpitudinis.*

In *hactenus*, quod codices habent, plus quam *haec* inesse putant critici, velut Scaliger *haec vero* proposuit, Hildebrand *haec tamen.* ego *tenus* prorsus deleverim, cum etiam alibi in codicibus Apuleianis verba aucta videam nec plus quam *haec* sententiam desiderare appareat. idem vitium Plat. 2, 24 residere puto; legerim ibi: ‘in quibus sint regentes alii, ceteri [ores] coniuncti inter se . . . ’

ibid. 2, 25: *eiusmodi civitatem nullis extrinsecus latis legibus indigere; regi eam quippe prudentia et eiusmodi institutis ac moribus, quibus fundata ceteras leges non requirat.*

*Regi eam quippe* non recte scripsit Goldbacher cum Oudendorpio Koziolioque pro *regiam quippe* codicum MVPL. nam in hoc scripto Apuleius altero loco constanter nec raro ponit *quippe*: 1, 10 solis quippe et lunae globum hoc agere ceterasque stellas; ibid. dies quippe cum noctibus mensium spatia complere; 2, 3 eiusmodi quippe medietates — intercedere dicebat tertium quiddam; 2, 3 horum quippe — neque sinceras esse virtutes; 2, 5 fortitudo quippe circumsistitur hinc audacia; 2, 11 discrepes quippe a communi sententia; 2, 13 solum quippe quod honestum est bonum dicimus; 2, 18 sperata quippe atque exoptata vix pauca — proveniunt; 2, 22 paria quippe a similibus non abhorrent; 2, 23 sapientem quippe pedisequum — dei dicimus; 2, 25 eis quippe utrisque cum natura una sit. itaque l. l. si *eam* verum esset, *regi quippe eam* desideraretur, praesertim cum *regi* non ita arte cum *eam* cohaereat, ut aliquid efficiat, cuius

partes divelli non oporteat. at *eam* in illa sententia plane est otiosum, quoniam facile ex *civitatem* mente suppletur. vera lectio haud dubie est: 'regi quippe prudentia et eiusmodi institutis'. in codicibus *regi* in *regiam* extentum est propter *prudentiam* (sic enim habent codices plerique). cf. flor. 9, p. 157, 5 comperior ipsius (coptoris ipsius F).

Eadem fere scribendi ratio in libro *de mundo*, qui post opus *de Platone et eius dogmate* videtur conscriptus, obtinet: 13 ortus quippe accepimus aequinoctialem et solstitialem; 21 aequalis quippe omnium diversitas; 24 indigens quippe orationis huius videbatur ratio; ibid. <de rectore> quippe omnium — silere melius est; 25 talis quippe humanae vitae praesidium ingenio eius est paratum. semel sane tertium obtinet *quippe* locum, 16 'nihil horum quippe — idem potuit obtingere', sed hic voces praeeuntes satis inter se cohaerent, qua ex causa eas scriptor interiecta particula disiungere noluit. tum duobus locis *quippe* in initio sententiae collocatum, sequente tamen coniunctione, cui melius talis vox praeponitur: 14 quippe ubi nubes adflictrix — ignem dat; 36 quippe, sicut civitas, mundi universitas regitur.

Diversa est Apulei consuetudo in libris ceteris, qui aetate videntur priores quam hi duo, de quibus exposui. nam ibi *quippe* plerumque primo enuntiati loco ponitur:

met. 4, 20 quippe cuncti canes — se obmiscent agminatim; 4, 21 quippe quidam — lanceam — iniecit ursae praecordiis; 9, 8 quippe cervices hostium iugo subactuiri et praedam — captuiri; 9, 25 quippe iam semivivum illum in proximum deportat angiportum; 9, 38 quippe insperato — resistens iuvenis complexu fortissimo adripit eius dexteram;

apol. 1 quippe insimulari quivis — potest; 11 quippe natura vox innocentiae distributa; 12 quippe amorem eius non amoenum — conciliare; 14 quippe in omnibus — imaginibus opera diutina sumitur; 18 quippe haec et alia flagitia divitiarum alumni solent; 19 quippe etiam ea — impedit et praecipitat; 24 quippe illa terrae alumna — iuverit; 40 quippe solus ille — cum sit cetera exossis; 42 quippe hoc emolumentum canticis accipimus; 54 quippe omnibus — obicietur; 56 quippe lana — profanus vestitus est; 66 quippe hi omnes — iuvenes — subibant; 69 quippe aegritudinem corporis ferre non poterat; 72 quippe etenim videbatur sibi — repperisse; 80 quippe insania scire se non potest; 88 quippe ita placuerat; 92 quippe ipse egens — filiam dotavit; 94 quippe compererat; 95 quippe omnes fandi virtutes — congruunt;

flor. 3, p. 147, 16 quippe adhuc ars ista — oriebatur; 6, p. 151, 4 quippe hi lubrico volumine revinciunt; 9, p. 155, 20 quippe praeconis vox 'garrula ministerium est; 13, p. 162, 23 quippe haec animalia — occinunt; 15, p. 166, 2 quippe eo commodum dominari orso profugit; 16, p. 168, 19 quippe ita institui omne — tempus vobis probare; 16, p. 171, 11 quippe eodem die — talum inverti; 16, p. 173, 19 quippe testimonium mihi perhibuit; 17, p. 17, 16, quippe non prompte veniam impertire rarenter; 17, p. 178, 2 quippe si fides fabulis, Orpheus exilio desolatus; 20, p. 187, 19 quippe et illis, quibus curriculo confecta via opus est; 24, p. 190, 2 quippe — bono periculo periculum faciam;

Socr. 5 quippe haec sola advenerat; 8 quippe nulla earum ultra Olympi verticem sublimatur; 10 quippe si — fecundae sunt, deorsus degrassantur; 13 quippe — daemones sunt genere animalia; 15 quippe tantum eos deos appellant; 19 quippe etiam — signum illud adnuntium sensit; 22 quippe non intellegit aeque divites spectari solere; 24 quippe ea adiutrice Cyclopis specus introiit.

Parvus est in iisdem operibus eorum locorum numerus, quibus haec particula ab initio sententiae est remota et in locum secundum detrusa: ap. 7 omnem quippe hominis actum sermo praeit; 50 eius quippe divinas vias — obruit; 92 affert quippe ad maritum — indolem; flor. 9, p. 159, 2 nihil quippe a te impetravi; Socr. 2 varia quippe curriculi sui specie — adsimulant; 6 eorum quippe de numero praediti curant singuli*). semel tertium *quippe* locum obtinet, met. 8, 21 conspicatum se quippe supinato illi — draconem — insistere; multo longius semel ab initio remotum flor. 18, p. 181, 8 semper adeo et ubique vos quippe ut parentis ac primos magistros meos celebro.

Omnibus quos adtuli locis *quippe* sententiam causalem vel explicativam inducit sive sensu *nam* vel *enim* est positum. quos locos si perlustraveris numerumque eorum in singulis libris inieris, videbis in metamorphosibus inesse locos sex, in apologia viginti duos, in floridis undecim, in libro de deo Socratis decem, in libris de Platone duodecim, in libro de mundo octo. itaque in metamorphosibus parce omnino Apuleius *quippe* particula sic est usus, multo largius in apologia et in scriptis, quae postmodum insecuta sunt.

Sed metamorphoses etiam alia re differunt a ceteris Apulei libris, quod ad *quippe* attinet. nam ibi haec particula

*) Non probabiliter met. 6, 15 O. Iahn et Eyssenhardt scripserunt 'speras quippe (que F) te — posse furari.' mihi *que* h. l. spurium videtur.

aliquot locis participio additur, cuius usus ne vestigium quidem extat usquam alibi apud Apuleium: 7, 25 non magno opere commovebar, quippe consuetus ex forma concidi fustibus; 8, 15 nec me — urgebat, quippe gaudiali fuga — exectorem virilitatis meae relinquentem; 10, 14 mihi — procedebat artificium, quippe adhuc timide — subripienti — pauciora; 11, 24 perfruebar, inremunerabili quippe beneficio pigneratus; 11, 27 conveni — eum — nec ipsum — ignarum, quippe iam dudum — commonefactum; cf. et 9, 27 adponebat ei — invita — mulier, quippini destinatam alii. itaque conscriptis metamorphosibus abiecit Apuleius hunc particulae *quippe* usum.

**mund**. prooem. (p. 104, 1 G.): *consideranti mihi et diligentius intuenti et saepe alias, Faustine mi, virtutis indagatrix — philosophia videbatur.*

*Mi* Goldbacher scripsit pro *mihi*, quod codicibus traditur. sed fugit virum doctum numquam secundo loco vocativum *mi*, utpote monosyllabum, poni ab Apuleio. cf. met. 1, 6 hem, inquam, mi Socrates, quid istud; 1, 11 mira — nec minus saeva, mi Socrates, memoras; 1, 24 ac comiter deosculatus 'mi Luci' ait; 2, 20 immo mi Thelyphron; 4, 26 parce, inquit, mi parens; 4, 27 bono animo esto, mi erilis; 5, 6 blanditiis astruit 'mi mellite, mi marite'; 5, 16 nil aliud reperies, mi soror; 8, 8 mi coniux, quod tibi — non licebit; 8, 10 concedas necesse est, mi Thrasylle; 9, 16 de isto quidem, mi erilis, tecum. *mea*, quod duarum est syllabarum, potest secundum obtinere locum; cf. met. 2, 7 quamque festive, inquam, Fotis mea, ollulam — intorques; 2, 18 fac sine cura — sis, Fotis mea; 5, 6 'haecine mihi pollicebare, Psyche mea?' itaque l. l. aliter verba sunt emendanda. *mihi* ex praecedentibus 'consideranti mihi' manifesto est iteratum et delendum. sine *mi* alloquitur Apuleius eundem Faustinum in initio secundi libri de Platone et eius dogmate 'moralis philosophiae caput est, Faustine fili, ut scias, quibus ad beatam vitam perveniri rationibus possit'.

ibid. 3: *sed ex ea parte, quae curriculis finitimi inuritur Solis, se iaculari atque emicare et scintillare flammae quaedam ostensae oculis nostris videntur.*

*Se* ante *iaculari* mihi suspectum videri fateor. nam plane inutile est, cum *iaculari* vi passiva intellegi possit, et praeter necessitatem corrumpit subsequentium membrorum aequalitatem. cf. etiam infra c. 16 horum pleraque iaculari credas,

alia labi, stare alia. fortasse l. l. subest *se* ex praecedenti *sed* repetitum atque ideo delendum.

ibid. 29: *at enim ut in choris — vulgus virorum et feminarum — unam harmoniam resonant, sic divina mens mundanas varietates ad instar unius concentionis religat.*

Sensu *at*, *at vero* Apuleius haud raro *sed enim* vel *at enim* ponit. sed non per omnes libros par est usus harum particularum, verum aliquantum hac in re illi inter se differunt.

*Sed enim* iam in metamorphosibus semel reperitur, 1, 24 sed enim Pythias visa sportula succussisque in aspectum — piscibus. multo maior est talium locorum in apologia numerus: 25 cito incremento sed enim materia levi caduco incendio; 31 sed enim vir egregie doctus — meminerat; 33 sed enim feminal nullo pacto reperiens — confugit; 42 <sed> enim fabula ut impleretur; 56 sed enim mundissima lini seges inter optimas fruges terra exorta; 64 assiduus mundi sui opifex, sed enim sine opera opifex; 77 sed enim iste — spei immodicus, pari avaritia; 81 sed enim versutiam tam insidiosam — negabis te — cognovisse; 85 sed enim malitia praecoqui puerum quis non aversetur. nec in floridis Apuleius hac particularum coniunctione uti desinit; cf. 13, p. 163, 1 sed enim philosophi ratio et oratio tempore iugis est; 16, p. 170, 18 adhuc os lecto libro impressus, sed enim iam animae vacuus; 18, p. 180, 1 et mihi liceat nullam longinquam et transmarinam civitatem hic, sed enim ipsius Carthaginis vel curiam vel bybliothecam substituere. at in ceteris libris abstinet prorsus Apuleius usu *sed enim* et tantum modo *at enim* adhibet; cf. Socr. 5 at enim, o Iule, pater tuus hoc iure iurando uti poterat; ibid. at enim inter Rutulos recens cognitos si nemo huic capiti crediderit; 20 at enim Socrates non vocem sibi sed vocem quampiam dixit oblatam; ibid. at enim secundum Pythagoricos mirari oppido solitos; 23 at enim bonis artibus doctus et adprime est eruditus; Plat. 1, 6 at enim altera — aestimanda est; 1, 13 at enim cum tres partes animae ducat esse; 1, 15 at enim hominum sollertia eiusmodi divino beneficio instructior; 1, 16 at enim illae optimae sunt partes; 1, 18 at enim hominem tunc esse perfectum; 2, 24 at enim rem publicam negat; mund. 7 at enim huius terrae — latitudo — tenet; 12 at enim procellosus flatus cataegis dicitur; 17 at enim illos quis non admirandos spiritus arbitretur; 29 at enim ut in choris — unam harmoniam resonant. ante hos libros philosophos parce utitur Apuleius illo *at enim.* nullus talis locus extat in floridis, in metamorphosibus est unus, 9, 35 at enim casulae parvulae

conterminos — agros possidebat vicinus potens. compluries occurrit *at enim* in apologia: 17 at enim M'. Curio tot adoreis — incluto — duos solos in castris calones fuisse; 20 at enim nec Crassus Dives quantam volebat; 85 at enim tibi a filio iam adulto acerbiores morsus viventi et videnti offeruntur. occupationem inducit *at enim*, ut apud Ciceronem, 9 at enim ludicros et amatorios fecit; 27 at enim maior natu non est iuvenem aspernata; 40 at enim piscem cui rei nisi malae proscidisti?

* * *

Habes observationes meas grammaticas criticasque Apuleianas. ex quibus quid ad ordinem librorum huius scriptoris constituendum proficiatur, nunc promissum praestaturi indicatum imus. ac primum quidem id contendere audemus, prorsus verum esse, quod E. Rohde aliis inductus argumentis Mus. Rhen. XL 66 sqq. demonstrare conatus sit, inter illos libros primum aetate obtinere locum metamorphoses, non apologiam, cui eum olim nonnulli viri docti vindicare studuerunt, nuper etiam Rich. Hesky (Stud. Vind. 1904, p. 71—80) adsignavit, non satis ille firmis nixus rationibus.

Apuleium prius metamorphoses condidisse quam apologiam vel iis probatur, quae de *igitur* collocatione p. 25 commemoravimus. diximus enim semel modo eum hanc particulam primo sententiae loco posuisse in metamorphosibus, in ultimo quidem earum libro (11, 23), undeviginti vero locis praetulisse eam voculae collocationem in apologia. cum etiam in floridis et in libro de deo Socratis eadem *igitur* collocatio frequentior sit, patet non exolevisse hunc scriptoris morem, postquam conscripsit apologiam. itaque si metamorphosibus secundum, ut quidam voluerunt, tribueris locum, apologiae primum, qui, quaeso, explicabis, quod scriptor in apologia et floridis positu illo delectatur, tantum non abstinet eo in metamorphosibus? at facile res intellegitur, si metamorphoses ante apologiam in litteras esse missas cum Rohdio dixeris. Apuleius nimirum tum, cum illas scribere coepit, altero enuntiati loco *igitur* ponere consueverat et sub finem demum earum a more suo declinavit, particula illa semel secundo loco posita. post hoc opus confectum amor huius collocationis apud eum invaluit, adeo quidem, ut in apologia, quae deinde composita est, non minus undeviginti locis *igitur* in sententiae exordio poneret. ea collocatio etiam in operibus, quae subsecuta sunt, Apuleio placuit; nam compluribus locis, ut diximus, ibi est ab eo adhibita.

Eodem fert particularum *propterea* et *quapropter* usus. in metamorphosibus enim, ut p. 9 demonstravimus, Apuleius *propterea* prorsus ignorat. in apologia demum apparet haec particula (tribus quidem locis. c. 32; 34; 60) atque increbrescit deinde in libris philosophis. item *quapropter* plane deest in metamorphosibus, at legitur scriptum duobus apologiae locis, bis extat in floridis, octies recurrit in philosophis operibus.

Nec alium librorum Apulei ordinem statues, si eius usum *ut qui* (= *utpote qui*) consideraveris. nam in metamorphosibus illud nullo extat loco. reperitur vero in apologia, nec abest a floridis et libris philosophis.

Idem in usum *enim* dici potest. nam in metamorphosibus, si Luetjohannum et Vlietium audis, quibus ego adsentior, nusquam hanc coniunctionem Apuleius primo loco ponere audet, at in apologia initium sententiae ei concessit ter eumque usum aliquot locis retinuit in floridis et in libro de deo Socratis.

Denique particularum *ceu*, *nam quidem*, *cumprimis* usu firmatur ille quem tuemur scriptorum ordo. nam hae omnes desunt in metamorphosibus, adhibentur vero in apologia et libris sequentibus. idem de *saepenumero* dicendum est.

Vidimus supra quasdam elocutionis proprietates nisi in metamorphosibus non extare apud Apuleium. etiam hae nobis documento esse possunt hoc opus prius quam apologiam litteris mandatum esse. nam cogitare vix licet scriptorem in opere ullo quaedam novavisse in sermone suo, tum vero in libro proximo cuncta ea abiecisse et iterum ea usurpasse, quae ante opus illud reliquerit. pertinet huc

*atque (et) ob id*, quod octo locis in metamorphosibus legitur, deest autem in aliis libris. pro eo adhibetur in his *atque (et) ideo (idcirco)*, *ideoque*, *idcircoque*, *et (ac) propterea*, quae omnia absunt a metamorphoseon elocutione;

*ergo igitur*, quod vel sedecim locis occurrit nobis in metamorphosibus, nusquam alibi extat;

*ac* ante gutturalem consonantem positum quinque locis in metamorphosibus legitur, nusquam fere in aliis libris;

*quis* (= quibus) duodecim metamorphoseon locis adhibitum est, nullo ferme aliorum scriptorum.

*se* in structura acc. c. inf. pro subiecto ponendum non omittit Apuleius in metamorphosibus, omittit tamen haud raro in apologia et aliis scriptis.

Post metamorphoses et apologiam conscripsisse Apuleium florida, de deo Socratis, de Platone et eius dogmate, de

mundo statuunt vulgo. nos nihil in elocutione eius invenimus, quo hunc ordinem invertere cogeremur, immo nonnulla observavisse nobis videmur, quibus eadem librorum consecutio adseritur. velut ex iis, quae de *quapropter* usu adtulimus, adparet libros de Platone et de mundo post florida et librum de deo Socratis exaratos a scriptore esse; nam ibi primum *quapropter* secundo loco positum extat. idem porro ex particulae *quippe* usu concludi potest. nam ut exposuimus, in libris demum de Platone et de mundo constanter fere illa secundo loco ponitur, cum in libris ceteris plerumque principem sententiae sedem obtineat. eidem sententiae denique usus *sed enim* et *at enim* favet quam maxime. nam cum in ceteris libris *sed enim* saepius legatur, *at enim* rarius, in libris de deo Socratis, de dogmate Platonis, de mundo *sed enim* ab Apuleio prorsus abicitur et tantummodo *at enim* adhibetur. nimirum metamorphoses, apologia, florida prius litteris mandata erant, postea demum libri philosophi conscripti sunt.

---


OCT 16 '37




La 44.278
Quaestiones Apuleianae.
Widener Library 006210326
3 2044 085 184 281